

ter. Et quamvis jam tum senisma Græcæque ex-
stitisset, omnia tamen loca quibus Symeon proces-
sionis sancti Spiritus meminit, a bono lectore in
bonum sensum accipi possunt, ut et alia pleraque,
ad quorum nonnulla adnotationunculas adjecimus;
alia eruditi lectoris candori permisimus. Etenim
non modo in hoc Symeone nostro, sed et in aliis
non paucis monasticis et asceticis scriptoribus oc-
currunt quædam duriuscule dicta, quæ lima judi-
cis egeant. Vera me loqui fatebitur, qui percor-

rere volet sermones asceticos Esaiæ abbatis, Joan-
nis Climaci, Marci, Nili et aliorum. Tantum de Sy-
meone habuimus: ad quem etiam scriptus est
scholastici illius Dialogus, quem reperies post ca-
pita moralia, quæ nihil aliud sunt, quam aphorismi
quidam, brevesque sententiæ ad vitam recte in-
stituendam accommodatæ; ejusmodi capita edi-
derunt cum alii, tum Marcus Asceta et sanctus
Nilus, quæ exstant.

SYMEONIS JUNIORIS

PRÆPOSITI MONASTERII SANCTI MAMANTIS AB XYLOCERCUM

ORATIONES XXXIII.

ORATIO PRIMA.

ARGUMENTUM.

*Quæmodo homo paradiso exturbatus, verita-
tem, quæ est verbum Dei, perdidit. De peccato
diaboli et Adami. Ab ipsa conceptione hominem
quemlibet esse peccatorem: et quo pacto per bap-
tismum in Spiritu sancto regeneretur. Quænam
multi reges, et prophete ante Christi tempora
concupierint. Christianos nondum initiati os, do-
centesque, et peccata sua confitentes, canonicis
vinculis, ac penis minime subjici, sed fidei my-
steris erudiri, et ita demum initiari debere.
Unumquemque Christianum divina immutatione
indigere, in qua perfectio consistat.*

Adamus postquam diabolo mentite fidem ha-
suerat, et cum ea fide de ligno scientiæ comedit,
veritatem amisit; quam deinde natura humana
dum multumque investigatam, invenire non potuit.
Testimonio sunt omnes Græciæ sapientes, dum
tantam humanarum opinionum diversitatem, per
varias disciplinas via ac ratione traditas præci-
pueque per multas ac longas de virtute et vitio
disputationes, quas reliquerunt, ad simplicitatem
et rectitudinem redigere, congruenterque in unum
coagmentare et constringere nequiverunt. Est
autem veritas Verbum Dei, sive gratia Christi,
quæ complures illas, et inter se pugnantem, atque
implicitam, et tortuosas ex hominum cogitationi-
bus, ratiocinationibusque profectas verborum dis-
sertationes, una et directa simplicitate, velut na-
turali, pacifica et tranquilla conjunctione, in-
comprehensa potentia sua composuit, reliquosque
doctrinarum sermones ad unum omnes otiosos,
irritos et inutiles demonstravit; cum more cæco-
rum palpando, veritatem, ab oculis nostris merito
remotam, inquirentes, non valeant reperire. Simul
ac enim homo mendacium sponte, ac nulla impul-

sus necessitate complexus est, in eam penam in-
currit, ut veritatem scrutetur ille quidem, ejus
tamen compos non evadat, persequatur, nec com-
prehendat. Etenim quo fide mendacio adhibito
oculis nostris erepta fuit, fide veritati commodata,
rursus invenitur ac restituitur. Ille mendacio
aperto manifestoque credidit: nos magnum ac
manifestum mysterium¹, Deum videlicet humano
corpore indutum, credimus. Illud propter Dei
mandatum erat incredibile: hoc propter Deum
nos alloquentem redditur credibile. Illud creditum
deprehensum est falsum (credentem quippe in
exitum ac mortem præcipitavit²), hoc creditum
veritas comperitur, si prodeum qui mendacio fidem
commodaverat, ab exitu ac morte revocat. pecca-
tum ejus tollens, eoque ut bene ac beate sit largiens:
et ex fine utrumque, mendacium puta veritasque,
perspicitur. Unum igitur peccatum, et una justitia.

Vide quid diabolus, considera quid Adamus pec-
caverit, et non aliud, quam suimet admirationem
superbiamque iuvenes. Verum illi ob excellentem
gloriæ magnitudinem ita se gesserunt. Nec enim
ex humilitate gloriam adepti se extulerunt: sed
cum humilitatem necdum cognoscerent, et scru-
teram e casu ipsorum humiliatorem ignominiam-
que ignorarent, ideo nihil eam metuentes, consue-
que efferre se non dubitarunt. Animadvertite con-
tra, quomodo jus dicatus sit Jesus. Cum Deus es-
set, usque ad mortem voluntariam, et mortem
cruentam (quod erat sceleratorum supplicium) semet-
ipsum humiliavit³. Unum ergo peccatum, inflata
de se opinio, et una justitia, extrema humilitas.
Nunc autem quis seipsum, nisi admodum fatuus
exaltet? Nemo enim in hac vita vi divina præditus
est, ut summam sibi gloriam comparat: nec hinc,

¹ I Thim. iii, 16. ² Gen. iii, 6. ³ Philipp. ii, 7, 8

antequam se humiliaret, gloriam consecutus est, sed quicumque in hanc lucem editur, statim est inglorius, et gradatim quodammodo ad gloriam tandem progreditur. Qui igitur pristinam vilitatem suam recordatus, se ipsum exultat, quomodo stultus ac cæcus non sit? Nam quod dicitur, *Nemo sine peccato, nisi solus Deus, nec infans, cujus vita unius diei est*^b; non de iis dicitur, qui peccaverunt: quo enim pacto infans unicum diem natus, peccatum committat? sed hoc latet mysterii, naturam humanam ab ipso conceptu peccatricem esse. Ac Deus quidem hominem non peccatorem, sed purum et sanctum finxit. Posteaquam vero protoplastus ille, sanctitatis stola solius superbæ piaculo spoliatus, corruptioni, interituique factus est obnoxius, ex eo etiam satio, conceptio, ortus, et reliqua deinceps omnia peccato subdita fuerunt. Et omnino, quisquis homo numeratur, quamvis non peccarit, nihilominus peccator est. Quocirca venit alia nascendi conditio, et altera formatio, qua quidem homo e sacrosancto fonte baptismatis in Spiritu sancto denuo generatur, iterumque cum divina natura, sicut erat, quando illum divinæ manus effingebant, modo quodam miscetur, et tanquam a primis elementis, ejus animæ vires universæ informantur, atque in eum statum, in quo caput et princeps generis nostri ante transgressionem versabatur, renovatæ restituuntur; et isto modo ad regnum Dei instruitur ac præparatur, in quod, qui salutari aqua purgatus nondum est, nec ingredi, nec ipsum speculari, nec intelligere potest. Ut ita quilibet baptizatus (1), talis jam, qualis ille

erat, qui primus est conditus, in paradiso sub intelligentiam cadente operetur, et custodem agat: operetur quidem mandata Jesu Christi, a quo renovatus est, custodiat autem, quam divino tinctus lavaero a Spiritu sancto gratiam accepit, confiteaturque et dicat, virtus ejus (gratiæ, inquam) quæ in me est, Christi præcepta mecum operatur^c. Hæc enim est custodia. Sicut namque ædificium stare, aut excitari absque fundamento nequit: ita anima Christo credens, nisi gratiæ Spiritus sancti fundamentum collocaverit, vitam et mores Deo placitos suscipere nequiquam potest; ejusque jejunia, pervigiliones, humi stratum cubile, alia corporis afflictationes, paupertas, lacrymæ, precationes nullius momenti censenda sunt. Sic etenim Christum negaverunt, qui post multos cruciatus negaverunt: *Qui in me confessus fuerit*^d, inquit. In ipso confitemur, in ipso adoramus, in ipso salvamur. Spiritus sanctus siquidem animam renovat, quemadmodum illa corpus.

Magnum mysterium, quod totus terrarum orbis jure veneretur. In eodem sacrificium laudis inest, nimirum cor purum, quod est cor contritum et humiliatum^e. Novit enim se proprium nihil habere et quomodo elevabitur? Est porro ipsum sibi humilitatis argumentum et materia. Quod si veritas, non ambitio sacrificium laudis est Deo, et apud illum non peccator (quis enim caret peccato?) sed omnis elato corde immundus habetur, humilis corde justificatus, justus munere suo functus, seu, ut debuit, conversatus est. Justificatio sancti Spiritus donum est. Qui a Spiritu sancto gubernatur, glorificatus;

^a Job xiv, 4, 5 sec. LXX. ^b Coloss. i, 29. ^c Luc. xii, 8. ^d Psal. l, 19.

(1) Cautè legendus est Simeon, quando et hic et alibi sæpius baptismati nimis multum tribuere videtur, nempe, quod reddat homines *impeccabiles*. Idem asserit de professione vitæ religiosæ seu monasticæ. Verba Græca perioches, quæ orationi præponuntur, sunt ista: *Τὸ ἅγιον βάπτισμα ἢ ἀκινήτους ἢ δυσκινήτους, πρὸς τὸ κακὸν διατίθησιν, ὡσπερ καὶ τὸ δευτέρον βάπτισμα τὸ διὰ τοῦ θείου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος. Sanctum baptismum aut immobiles, aut difficulter mobiles ad malum reddit, ut et alterum baptismum, quod consistit in susceptione divini et angelici habitus, hoc est, in ingressu in religiosum seu monasticum ordinem; hunc enim alterum baptismum nominat. In ipsa oratione sic præter cætera loquitur Simeon: *Τὸ γὰρ θεῖον βάπτισμα τοῦ Χριστοῦ τοὺς πρὶν ἀβαπτιστοὺς, καὶ πρὸς τὸ κακὸν εὐκινήτους, κραταιὰν ἔχει δύναμιν, κατασκευάζειν βαπτισθέντας, ἀκινήτους πρὸς τὸ κακὸν, εἰ δ' οὐ, ἀλλὰ τέως πρὸς τὸ παρὸν ἀκινήτους. Quæ omnia dura profecto sunt et animadversione digna, et errorem Joviniani redolentia, qui, ut scribit sanctus Hieronymus, lib. ii *contra Jovinianum*, et sanctus Augustinus, lib. *De Hæresibus*, cap. 82, docuit hominem, verè baptizatum non posse amplius peccare, et si forte peccat, non fuisse tinctum nisi aqua. Ad quem errorem loquendi quæmodum alludit Simeon, cum ait illis qui post baptismum faciles seu flexibiles sunt ad malum, aquam superfusam esse ὡσεὶ νεκροῖς, tanquam mortuis. Quod itidem de altero baptismum, seu de ingressu in religionem affirmat. Forte erit, qui Simeonem excuset. Id vero nobis non modo non molestum,**

sed et perquam jucundum erit; utinam non modo Simeon noster, sed et quivis alius ab omni errore sit immunis. Interim veritatis hæc sunt voces: *Verè et legitime baptizatum denuo peccare posse, si velit. Ad baptizatum enim tendit illa cohortatio sancti Pauli Rom. ii, 20: Tu fide stus, noli altum sapere, sed time. Et ad Hebr. vi, 4: Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestis, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, etc. Ubi manifeste indicat Apostolus eum qui verè baptizatus gratiæque divinæ particeps effectus est, in peccata denuo labi posse, atque adeo per baptismum *impeccabilem* non ellici, quod multo magis ad religiosæ vitæ professionem accommodari debet. Quæ, ut et baptismus nec ἀκινήτους, nec δυσκινήτους ad peccandum reddit, et si baptizatus *δυσκίνητος* aliquo sensu dici potest, quia gratiam Dei per baptismum jam consecutus, multo habet majora et validiora præsidia vitiorum illecebras repudiandi, quam ante baptismi initiationem, dummodo illis legitime uti velit: nam si uti nolit, et per arbitrii libertatem rursus ad peccati sordes declinet, æque id potest ac antea: *Contingitque ei, ut sanctus Petrus ait (II Petr. ii, 22), illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. Lector consalat cardinalem Bellarminum libro De baptismo, cap. 14, ubi copiose adversus hæreticos ostendit, hæreticos per baptismum non fieri impeccabiles.**

qui glorificatus, sanctificatus est; sine sanctificatione Deum nemo videbit. *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini* ⁸. Quis est impius? Superbus utique, et tantum impius quantum superbus. Quis humilis corde? non prudens, non sapiens, non intelligens, non versipellis, non a semetipso doctus ac sciens; sed cum Spiritu sancto communicans, in quo prudentia et sapientia, et intelligentia, eruditio ac scientia in ipso purgatæ, ac viventis, Deoque placentis animæ. Ob id enim Verbum ac Filius Dei hominem induit, ac mortem pertulit, seque ipsum pro toto genere humano liberando pretium dedit. Verum enimvero pro piis, qui antea obdormiverant, magnum et augustum, ac propterea repulsæ nescium sacrificium factus est, quando post Adami lapsum justorum nullus adipisci salutem potuit, omnibus peccato primi parentis, mortique ac perditioni subjectis: quod nemo exstaret, quem flammea illa romphæa paradisi custos, post ejectionem inde protoplastum facile admitteret, quo in impolluta, et ab omni delicto munda, et sancta tabernacula intrare et in Sanctis sanctorum atriis permanere posset (quoniam, ut etiam Apostolus ait, *corruptio incorruptionem non hæreditabit* ⁹) oportebatque incorruptibile Dei Verbum in carne sua mortali oblato sacrificio justos a corruptione eximere. Haud enim in illorum potestate erat, ad incorruptionem illam instaurari, in qua princeps homo effictus fuerat, et ex qua exciderat: sed ad magnam hanc, et in judicio ac justitia susceptam œconomiam spectabat. At vero pro iis qui postea vixerunt, tum sacrificium, tum communio appellatur; quia scilicet per sumptionem se cum sumente commiscet, et illa commistione unioneque de integro cum format, unitumque inexplicabili virtute artificis divinitatis suæ ad semetipsum adducit, ut secum germane coalescat. Quemadmodum et ignis, tametsi a corporibus se durioribus susceptus, conjunctione ipsa ignem facit, nec eorum naturam evertit: nihilominus quandiu cum igne copulata sunt, etiam ipsa ignis sunt. Atque hoc est, quod olim multi prophetæ, reges et justi desiderarunt, cum eos præviderent ¹⁰, qui caro de carne Verbi Dei et os ex ossibus ejus futuri essent, seque a tanto bono sejunctos intelligerent.

Quapropter instructis, et eruditis, magnique mysterii Christianitatis cognitionem consecutis, initiatisque fidelibus, si postea pro humana imbecillitate, et quia adhuc pulvere circumdantur, in culpam inciderint, bona erit medicina spiritualis, si eam confitentibus injiciantur vincula canonica, quibus peccati nexibus exsolvantur, et pharaca salutaria applicentur, quandoquidem quibus debent initiamenti exulti, virtutem Christi gustaverunt, cui fidere, et peccatum cavere oportebat, juxta illud Apostoli: *Peccatum enim vobis non do-*

minabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia Christi ¹¹. Nisi enim rejecissent gratiam Christi, quam cognoverant, non eos illa peccare permisisset. Et ipsi semet reos fecerunt sanguinis Christi, qui emundavit conscientiam illorum ab operibus mortuis, ad serviendum Deo vivo et vero ¹²: denuoque per labores nempe, sudores, gemitos, lacrymas emundari debent, ut dicant Deo: *Vide humilitatem et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea* ¹³. Remissio autem perfecta rursus gratiæ participatio est, non quod Deus defatigationibus ac laboribus pœnitentis indigeat: sed ne pœnitens divinæ gratiæ citra laborem reconciliatus, eam, uti prius, contemnat, tertiaque purgatione opus habens, reprobetur, et in ignem sempiternum purgandus conjiciatur, qui cum semper urat, purgare non potest quem urit.

Jam vero arcana Christianæ religionis ignorantibus (sunt enim, sunt, inquam, plures baptismo affecti quidem, et propterea indigitati Christiani: sed penitus nulla catechesi imbuti et indocti, et ut breviter dicam, profani, ac rudes hujus præclari mysterii) talibus, inquam, peccata sua, post sacram baptismum perpetrata, confitentibus, nexus et auxilia medica nullam utilitatem afferunt. Quia enim mysterium Christi nesciunt, sed spiritualium vinculorum medicaminumque sensum et intelligentiam habere unquam poterunt. Et cum non intelligentes crediderint, sine intellectu peccaverunt: et quia sine ratione peccaverunt, spiritualem, et quæ animo cernitur, medicinam agnoscere non possunt. Quamobrem quomodo mysteria Christianismi scientibus, memoriaque tenentibus, pro mensura cognitionis, et errati vinculis, medicina, ustione, afflictione, et pœna; sic eorum rudibus, nondumque institutis, institutione, fide, et initiatione, non vinculis opus est. Vincere enim et urere, quod sensu caret, absurdum; et curationem adhibere mortuo, ineptum negotium ac fatuum est. Verum *quicumque in lege peccaverunt, hoc est, cum cognitione, per legem judicabuntur* ¹⁴, ad sacrorum canonum normam ac præscriptum videlicet. At qui sine lege peccaverunt, hoc est, ea non cognita, sine lege etiam peribunt, frustra nimirum ignorationem excusantes, cum a Domino dictum sit: *Prædicabitur Evangelium hoc in toto mundo, in testimonium omnibus gentibus* ¹⁵. Sequitur hinc, si gentes manet condemnatio, multo magis eos condemnatum iri, qui in medio Christi Ecclesiæ primorum rudimentorum imperiti, et in rationibus divinæ pietatis hospites ac peregrini Christiani versantur, contemtores admirandi hujus operis Verbi Dei, cujus causa humanis se artibus convestivit, cum Deus esset, contumelioseque tractatum, et non secus quam pro sceleribus suis neci deditum est. Quod autem nonnulli de profanis istis in throno gloriæ

⁸ Isa. xxvi, 10. ⁹ 1 Cor. xv, 50. ¹⁰ Luc. x, 24. ¹¹ Rom. vi, 14. ¹² Hebr. ix, 14.
¹³ Psal. xxiv, 18. ¹⁴ Rom. ii, 12. ¹⁵ Matth. xxiv, 14.

regni Christi sedentes, quæ ipsi non didicerunt, A alios docent, pro patientia Dei, imo vere iram magnam et derelictionem; quoniam illusores dominantur, et dolosi, et impudentes, et ut malam conscientiam habentes, increduli. Maxime qui in idolis suis gloriantur, in *doctis* videlicet, *humanae sapientiae verbis*, quorum gratis ab auditoribus suis æque profanis laude et admiratione afficiuntur¹⁶.

Bonum est in Christum credere, quoniam sine fide in ipsum non est ut quis salvetur¹⁷. Verumtamen etiam veritatis notitiam capessere necesse est. Bonum est veritatem doceri, siquidem et necessarium: quin et baptismo lustrari in nomine vivificæ Trinitatis, ut anima vitam adipiscatur. Bonum est baptizari: sed mysticæ hujus vitæ, sive luminis spiritualis etiam animæ sensum capere oportet. Bonum est sensum illum, qui in mentem cadit, sive illuminationem cognoscere: sed opera quoque lucis requiruntur. Qui namque pure et liquidissime cernit, eum etiam opera Dei facere convenit. Bonum est lucis opera facere, sed humilitatem et mansuetudinem Christi induere insuper decet: ut qui in Christum credit, Christi characterem et insignia ferat, et ad naturam mitem atque humilem immutatus, in regnum cælorum ad gaudia Domini sui recipiatur. Cæterum qui hoc ordine viam Dei ambulat, si in ea pro naturali conditione moriendi præpediti fuerint, a misericordia Altissimi non repellentur, nec ab introitu regni cælestis arcebuntur. Hoc itinere qui non incedunt, eorum et fides C et progressio inanis est.

ORATIO II.

ARGUMENTUM.

Hominem prius a Christo per sanctum baptismum corroborari, ac tum demum mandatis ejus deditum esse oportere. Eam inesse in sancto lavacro vim, ut aut inflexibiles, aut peno inflexibiles ad improbitatem cedat: quomodo et alterum baptismum, quod per divinum et angelicum habitum confertur. Quoniam vere in Christum credidisse dicenti. Quales sacerdotum ministri, sacerdotes, episcopi, animarumque doctores requiruntur.

Qui culpam dicit, hoc fac, et illud ne feceris, plane sic dicit, ac si ille, eum præcipit, facere possit aut omittere. Qui vero sic dicit ei, qui non potest, nonne frustra dicit? Dominus ait discipulis suis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*¹⁸⁻¹⁹. Ea expurgatio et virtus sacri baptismatis primo loco constituitur. Quid postea? *Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis*²⁰. Quicumque igitur hoc robore ante confirmatus non est, in mandatis Dei observandis incassum laborat; quicumque illa homini præcepta dat, pro cæco et stolido habeatur licet: quando prius gratiam Christi, quæ mente percipitur, et purgat, animam suscipere, indeque eam confirmari res postulat, atque ita demum leges

præscribere. Qui enim fieri potest et solus spialis ac tribulis plena purum framenti semen accipiat, et ipsam semen non suffocetur? Quare fructum nunquam referent, qui contra naturam, contraque ordinem, commoditatem rationis infirmos adhuc aggrediuntur: ratione enim et producta sunt, et continentur, et ad finem perducuntur omnia. Nam divinum Christi baptismum nondum ablutos, et cereos in vitium flecti, efficacitatem habet, jam lotos a peccato invictos præstare. Sin minus, saltem cum se obtulerit occasio, ad id difficilis, quod ejus vim potentiamque declarat. Ad virtutem autem honestatamque proclives, tanquam *angelos potentes virtute, facientes voluntatem Dei*²¹. Iden Christus sacrosanctum sanguinem suum credentibus in illum largitus est, ut per ejus sumptionem communicationemque fideles divinæ prius nature consortes effecti (Dei enim sanguis est) eum divini divinæque virtutis jam assecuti robor, etiam secundum perfectam Christi legem vitæ rationes instituunt: ut potentes virtute voluntatem ejus exsequentes. De cætero quisque fidelium, et Christum confitentium apud se cogitet, si hoc robore septus, Christi legibus parere spreverit, cum iis parere queat, nec vitam, et mores ad Dei naturam composuerit, se Christum negavisse, et ex Apostoli sententia *conculcasse Filium Dei, sanguinemque testamenti pollutum duxisse*²².

Quod si, aquis salutaribus expiati, divinique corporis et sanguinis participes facti, nondum potentes sunt virtute ad perficiendam Dei voluntatem; sed ad vitia et peccata adhuc facile moventur, perinde ac mortuis aqua illis superfusa est: et unum quippe in Christum non crediderunt. Atque opus est hujuscemodi homines ad episcopos et sacerdotes adire, fidei formulam edoceri, in Christum credere, tuto antea fundamento posito, penitentia, inquam, hujus amentia, et impositione manuum, unctioneque sacri charismatis. Et cum illis Evangelium justitiæ revelatum fuerit, novamque sensum intelligibilis Christi gratiæ hauserint, quæ animas eorum tetigerit, et in ipsis cor contritum ac humiliatum creat, castumque Dei timorem adificat (hæc namque Christianis viæ bonæ ad vitam ex Christi præscripto agendam præiordia sunt), tum quoque immaculato ejus corpore, et sanguine percipiendo, merito digni censeantur: ut cum divinæ nature consortes²³, et sanctificati evaserint, non eis peccatum, quomodo antehac, dominetur. In hoc enim sanctificatio sita est, ut Christianis ad faciendam voluntatem Dei potens virtute fiat, quo corroboratus et fidelis Christianus nominetur, qui Christi gratiam susceperit, et cui fides habeatur, quique in Spiritu sancto curriculum vitæ suæ moderetur. Ita enim non aliter quæpiam Christianum fieri, et esse datur. Prior vero ille gravibus pœnis

¹⁶ I Cor. 13, 13. ¹⁷ Hebr. 11, 6. ¹⁸⁻¹⁹ Matth. xxviii, 19. ²⁰ Ibid. 20. ²¹ Psal. cx, 20. ²² Hebr. x, 29.

²³ II Petr. 1, 4.

et animadversionibus peccata admissa compensare debet, et lacrymas ad baptismi fontem exæquandum fundere, ac Deum orare præterea, ut usque ad finem curationis ætatem degere sibi concedatur, ne ante sanationem abreptus et damnatus in gehenna, pro eo ac meruit, torreatur. Quis enim præstabit, tandiu dum curetur, fore superstitem?

Hic vincula opus sunt, hic excommunicationes, hic diurnæ lacrymationes, hic genulexiones, rarusque, et vix aliquis cum fidelibus congressus. Ac tale quidem iudicium haud injustum est. Cur enim qui divinum mysterium cognovit, et accepit, non cavet? Lapsus hunc Adami lapsu minorem dicere non potest. Ille etenim, si Deum esse in se novisset, de fructu prævaricationis non gustasset. Et quanquam seipsum non norat prius, cum Deo privaretur, tamen postea in habitu cognovit. Ast hic per sanctum baptismum Christum a se cognitum nudus induerat, ut scriptum est ab Apostolo: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*²⁵. Omnis enim mentis et consilii particeps anima, ex ipso baptismo Christi gratiam consequi intelligitur: statim quippe Christus in ea formatur. Porro ab infantibus baptizatis, baptismi sanctificatio propter ignorantiam non sentitur; est siquidem intellectualis sensus. Jam vero paulatim tempore procedente, fit etiam immutatio. Et in aliis quidem prorsus extinguitur: in aliis quidam igniculi manent, iterumque per fidem, institutionem et spem magna hæc misericordia accenditur. In his namque qui speraverunt et crediderunt, sensim ignem illum exsuscitat, eorumque intelligentiæ manifestat. Deinde cum gaudio titonibus humilitatis ac misericordiæ subjectis, flamma emicat, vicinosque illustrat: illius, quia non ex nobis, sed ex Deo est misericordia; hujus, quia misericordiam consecutum, plane misericordem esse decet. Quod si qui item altero baptismo per angelicum habitum accepto, quid acciperent, non intellexerunt, divinam et omnipotentem sancti Spiritus virtutem non participant, gratia ea similiter avolante, ut quæ per aquæ baptismum collata est: et propter stuporem adhuc ad malum proni sunt ut prius; inanis est eorum fides, vanumque secundum quoque baptismum, cum sensus expertibus, et mortuis indumenta sacra sint imposita. Una est enim salutis notitia, quia et veritas unum est, menti intelligenti, et intelligenti animæ donatæ per fidem supernæ gratiæ sanctissimi Spiritus intellectualis cognitio. Dignantur enim tali gratia, qui in Christum, cum baptizarentur, crediderunt, alii quidem ut et signa faciant; plurimi ut ad malum immobiles, ad bonum contra perfaciles perseverent, et quidquid Deo placet, id in vita impigre et exultandi consecutentur. Hic eorum ordo est, qui in Christum crediderunt.

Sed videndum, ne quando præter ritum ordinem

A quidam aut ministri ecclesiastici, aut sacerdotes, aut episcopi, et animarum magistri sint, et veniat *lex iræ Dei*²⁶ super nos, si non sit qui imperites instituat et erudiat, divinissimæque, et humanum captum superanti fictione refringat. Hanc enim cuiquam fas, nisi prius naturæ divinæ consorti, Spiritus sancti cathedram, ut ita dicam, magistralem conscendere: alioqui Dei adversus se iram concitabit. Hac nempe de causa multi in verbo sapientes, alii hæresis auctores ac duces exstiterunt; alii hæreticorum sermonibus capti sunt. Cæterum quoniam quemadmodum a divino baptismo, velut a principiis informati essent, non intellexerunt, ingressi prius per pœnitentiam et cognitionem, ut supra diximus, intercedente impositione manuum per arbitros et œconomos magni hujus mysterii, et sacræ scientiæ peritos, informationem ab initio, speciemque ac formam spiritualium, et mysticorum habituum suorum consequantur: ut confirmati, in vinca Dei laborent, ne fides ipsorum, et confessio irrita sit, et Christus nequidquam creditus et adoratus, nihil eis prosit. Nec enim, ut quispiam fortasse dixerit, Deus homo natus est, ut ita simpliciter Deus homo crederetur, illique adoratio adhiberetur: verum ut nos divinæ naturæ consortes fieremus, sicut ipse naturæ humanæ consortem se fecisset, cognoscerentque adepti hoc consortium mysterii vim, et gratias agerent. Et quotquot hujus consortii gnari sunt, ac de eo probe judicant, hi sunt amici Christi, his creditum est hoc mysterium, et hi vitam Christi imitabuntur. Qui autem ejus naturæ participes, sive consortes facti sunt; aut cum facti essent, rem ignorarunt, ii hostes ejus sunt: propterea quod omnis qui cum natura divina nihil commune habet, carnalis est, et Deo placere non potest: *Prudentia enim carnis inimica est Deo*²⁷, *et caro, et sanguis regnum Dei non possidebunt. Non enim corruptio incorruptionem possidebit*²⁸; sed audiet aliquando: *Etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Habenti enim dabitur, et abundabit*²⁹, propter gratiam immensam, inexhaustam, superabundantem, et quæ immāni atque consumi non potest. Nam ponamus quempiam mille annos vivere, ac per totidem annos in dies singulos divina gratia perfundi, cum sane illa supra Christum quodammodo locabit, cum totum impleat (siquidem ipse ætate et gratia proficiebat), ipsa tamen salva, nihilque imminuta manebit. Veruntamen non est prorsus necessarium, paulatim eam inundare, aut minui, et paulatim deficientem vacuum omnino deserere eum qui illa spoliatur, et cum quasi clam recesserit, ipsi hujus recessus sensum non relinquere

ORATIO III.

ARGUMENTUM.

Quæ, et quot sint divinæ cognitionis genera. Cognoscendum quod Deus sit; quid autem sit, etc.

²⁵ Galat. III, 27. ²⁶ Psal. LXXIII, 23. ²⁷ Rom. VIII, 7. ²⁸ I Cor. XV, 50. ²⁹ Matth. XIII, 12.

scrutandum. Christianum credere, et baptismo ablui oportere. Quis dicatur, et sit christianus: et quis dicatur quidem, nec sit. Qui enim non facit voluntatem Christi, eum non esse christianum. Improbos Christianos perditis Judæis deteriores habendos.

Deum cognoscendi genera, seu modi quinque sunt. Primus, quod Deus nihil sit eorum omnium quæcumque aut sub aspectum, aut sermonem, aut intelligentiam subjiciuntur. Alter, quod si quid est, quod vel aspectu sentiat, vel oratione exprimitur, vel mente tantummodo comprehendatur, ab ipso sit, cum prius non existerit. Tertius, quod hæc omnia, nullius eorum indigus, bonitate sua e nihilo procreaverit, ut ipsius gloria potius fruerentur, in ipsoque subsisterent. Quartus, et quod cum bonus sit, omne quod bonum et honestum est, id velit, et omnem pravitatem vitiositatemque oderit. Quintus, quod in ipso omnis administratio, et vita virtutis compos ac divina feliciter institui possit; non aliter, nisi illius vi ac potestate adjuvante, quæ sensum oculorum, intellectumque fugiens, complectitur omnia, et præcellit omnibus, nullique nisi castissime se invocanti opitulatur.

Est porro Divinitas, quantum humana lingua enuntiar, quantumque metaphora quadam ab essentia, et natura ducta indicari potest, una essentia et natura superessentialis et supernaturalis; tres autem hypostases, sive subsistentiæ, alia atque alia unius unitatis, et rursus tripartito discrimine divinx unitatis, et discriminum unitorum: ut ipsa Divinitas non sit unum, neque tria, sed et unum, et tria in eodem: ut neque unum per unionem confundatur, neque tria per distinctionem separantur. Deitas namque cum sit superessentialis, etiam et sola est immutabilis et invariabilis; estque tanquam mens, rationem et spiritum habens diciturque Pater, Filius Pater (qui est quasi ratio) et productus Spiritus (2), quemadmodum item genitor rationis. Et cum Pater Deus nominatur, simul cum Filio, ac Spiritu intelligitur. Quando autem Filius nominatur Deus, intelligitur Filium esse Dei. Quando demum Spiritus sanctus appellatur Deus,

A intelligitur eum ex Patre procedentem, etiam Filii Spiritum esse, unionem et discretionem inexplicabili.

Scire igitur solum oportet, Deum esse: quid autem sit, investigare, non modo temerarium, sed etiam vehementer stultum est. Figulus enim vasa e luto fingens, et ea ex eadem, qua ipse constat, substantia (de luto quippe et ipse factus est) nunquam vas, quod suis manibus efformavit, se de ipso artifice suo alloqui audivit. Jam si figulus tantopere differt a vase fictili, cui substantia similis est, quantopere Deus ab homine discrepat? Si enim Deus nihil istorum est, quæ aut cernuntur, aut nominantur, aut cogitantur, quicumque illius essentiam indagare, aut animo percipere desiderat, is minus quam testa rationis est particeps. Quod cum ita sit, silentio venerandus et adorandus est unus Deus, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, et credendum in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unam naturam, et tres proprietates hypostaticas, et magnum œconomix mysterium, quod Verbum Dei, et Filius, in Patre genitus et subsistens, ab eodem non separatus, conclusus fuerit utero Mariæ, ante partum et post partum virginis, factusque sit caro, humana natura perfecte in seipso suscepta, manseritque Deus immutabilis, et natus sit ex ea homo, unus in duabus naturis perfectis, et his citra confusionem permixtis, ac sine divisione unitis. Item quod sponte, ac libens tormenta passus, sponte ab homicidis interfectus, sponte sepultus, Deitate ejus nequaquam per mortem nec ab anima, nec a corpore suo quod susceperat, sejuncta. Deinde et tertia die redivivus ab inferis exstitit, et post dies quadragenos ut homo in eandem assumptus, in throno divinitatis suæ cum carne sua consideret, laudibusque cum Patre suo, et sancto Spiritu ab universis cœlestium ordinibus celebratur. Et hæc facta esse credendum, ut Spiritu sancto, quo Adamus protoplastus prævaricator exutus ac nudatus fuerat, per Christum ipsum, qui in eundem crederent, induerentur, et participes facti Spiritus sancti, tam divina mandata per illum operari, ut olim sancti

(2) Καὶ λέγεται Πατήρ Υἱοῦ τοῦ Λόγου, ὃ καὶ περιβολεύς τοῦ Πνεύματος, ὡσπερκοη γεννήτωρ τοῦ Λόγου. Paulo post: Ὅταν δὲ ὀνομάζεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον Θεὸς νοεῖται ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ τοῦ Υἱοῦ Πνεύμα ὑπάρχον. Quibus verbis videri posset favore Simeon errori Græcorum, de processione sancti Spiritus ex solo Patre. Sed non est cur quis Simeonem hunc trahat; cum enim vixerit et docuerit sub imperatoribus Leonemmachis Leone Isauro, et Constantino Copronymo, ut suo loco ostensum; non est quod quis existimet, eum ejus opinionis fuisse, cujus hodie sunt Græci: cum ea post multum demum annos sub Photio patriarcha Constantinopolitano nata, et pertinaciter defendi cœpta sit. Fecit quidem olim Theodoretus, cum adhuc a Nestorianis partibus staret, hujus erroris semina in refutatione Anathematismorum sancti Cyrilli cap. 9, aperte scribens, a solo Patre Spiritum sanctum esse: at tamen sepultus jacuit hic error, donec

D sub Michaele imperatore Constantinopolitano, et Nicolao I pontifice Romano, Photius contra Romanam Ecclesiam brachia tendere instituit, quæ inter cæteras lites, quibus Græciam infecit, vel potius perdidit, hanc etiam de Spiritu sancto ex solo Patre Orientali Ecclesiæ affricuit, incredibilem tot animarum stragem. Nec dicit Simeon noster aut hic, aut alibi Spiritum sanctum ex solo Patre procedere; sed ex Patre. Ut ergo Christus Joan. xv, 26, illis verbis: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, non exclusit Filium, hoc est, seipsum, ita nec antiqui scriptores, qui hac loquendi formula utuntur, excludunt Filium. Vide cardinalem Bellarminum, lib. II De Christo, præsertim cap. 27. Et hujus adnotationis lectorem memorem esse oportet, cum ad orationem decimam quintam; similesque locos de processione sancti Spiritus pervenerit.

per fidem, tum diabolum ac dæmonas inaspectabiles debellare possent. Absque Spiritu sancto enim nec peccatis vacare, nec potestatem demonum adversum nos, viresque repellere possumus. Baptizari quoque oportet in Trinitate consubstantiali, quam et credimus, prout Dominus noster Jesus Christus imperavit, cum apostolis ita præcepit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes, eos servare omnia quaecunque mandavi vobis*²⁹. Quæ si servemus, nostram erga illum charitatem demonstramus, et qui in ea maneamus, digni habemur; sicut scriptum: *Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione*³⁰. Si non servemus, illum non amare convincimur: *Qui enim non diligit me, inquit Dominus, sermones meos non servat*³¹. Et iterum: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*³². Quapropter qui in Christum credit, non habet aliud prius, quo fidem suam ostendat ac probet, nisi quia fugit, quæ ille prohibuit, et facit quæ jussit.

Præclarum est in Christum credere: sed necesse est etiam Christo credere. Nam qui Christo non credit, in Christum credendo nihil proficit. Credere quidem in Christum debemus, ut in Deum, consubstantialem Deo et Patri, hominem natum propter nos, ut dictum est. Credere autem illi etiam in omnibus quæ locutus est, nempe in bonis ac præmiis quæ pollicitus, et in suppliciis quæ comminatus est. Etenim martyres, qui in eum crediderunt, cum credidissent dicenti: *Qui me negaverit, negabo illum vicissim: et qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*³³, ideo ad mortem usque cruciamenta sustinuerunt. Alioqui, celo, qui vitam projecissent, si in his ei fidem non habuissent? Et omnes qui cum sanctimoniam retentam egerunt suam ob divina illa promissa, pollicitationesque, et minas ac terrores, ita sancte iusteque vixerunt. Qui autem in Christum credit, seque etiam illi credere profiteretur, neque tamen ab improbis factis declinat, neque ad virtutem incumbit, infidelis est, Christum negat, *per prævaricationem legis Deum inhonorans*, ut apud Apostolum legimus³⁴. Quod si affirmet, credere se quidem Christo, quando quidem et in ipsum credat, in virtutibus autem elaborare, hoc est, mandata ejus observare præ infirmitate non posse, mentitur: omnia namque apostolis a Christo Deo præcepta, nobis similiter præcepta sunt, eaque dum in hac vita commoramur, servare quidem possumus; sed quia charitate in Christum imbecilles sumus, nolumus. Quorsum enim alioqui verba illa Apostoli de Christo pertinebant: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et*

*A redemptio? Christus enim Dei virtus et Dei sapientia*³⁵. Patet igitur eum huic non communicasse. Virtus enim Christi duplex est credentibus: quando et ipse, licet secundum hypostasim unus, tamen duplex est. Et ut substantia nostrum similis, et genere noster frater, cordibus nostris prius ejusmodi statum largitur, qualem habeat oportet: qui proprie homo est. Secum quippe communionem habentem, pœnitentia contritum et humiliatum, sobrium, compunctum facit ut, cum talem effecerit, supplicentem non despiciat: sicut et Propheta ait: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias*³⁶. Qui enim in corde contrito et humiliato non petit, despicitur.

Ubi deinde Christianus talem se præbuerit, tunc oranti, pœnitique Christus etiam virtutes donat; quippe ut jam mitem et paratum doceri vias Domini³⁷ (soli namque mites eas docentur), reddit eum castum, temperantem, justum, fortem in tentationibus, rerum divinarum peritum, misericordem, aliena incommoda sentientem, humanum, bonum Christianum, Christi insignia portantem, ac fidelem. Creditur enim illi gratia sanctissimi Spiritus ejus, per quam, et in qua ista acquisivit (a solo enim Deo virtutes hominibus suppeditantur), sitque similis Patri suo cœlesti, sicut et divinus apostolus Joannes Theologus inquit: *Filioli, nondum apparuit quid erimus. Scimus enim quod, cum apparuerit, similes illi erimus*³⁸, id est, Christo Deo, Filio Dei. Regnum cœlorum siquidem tales admittit, qui Filii Dei similitudinem gerant, quam quidem consummata Dei mandatorum observatio conciliat, et ea ipsa ex charitate erga Christum proficiuntur: *Qui diligit me, ait Dominus, mandata mea servabit*³⁹. Et qui servat mandata Christi, ejus similitudinem adipiscitur: formatur enim in eo Christus, juxta illud Apostoli: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*⁴⁰. Nisi enim in christiano quolibet Christus formatus invenietur, regnum cœlorum ei non patebit.

Itaque nemo Christianus semet decipiat, putans se partem habere cum Christo, dum non obtemperat Christo: *Non enim omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est*⁴¹. Et rursum: *Ego descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris*⁴². Atqui Patris et Filii voluntas eadem est. Si ergo Dominus ipse hæc loquitur, quo pacto in Christianis numerabitur qui suam voluntatem facit, et Christi quasi limis oculis aspiciat? Aut qua tandem spe Christum esse Dominum constiterit? Quis, quæso, cui servit, eum fatetur esse Dominum suum, et eidem non obedit? Dæmones Christo non obsequantur, nihilominus eum confitentur, et loquuntur

²⁹ Matth. xxviii, 18-20. ³⁰ Joan. xv, 10. ³¹ Joan. xiv, 24. ³² Ibid. 21. ³³ Matth. x, 22, 25. ³⁴ Rom. ii, 23. ³⁵ I Cor. i, 24-30. ³⁶ Psal. l, 19. ³⁷ Psal. xlv, 1, 8. ³⁸ I Joan. iii, 2. ³⁹ Joan. xiv, 23. ⁴⁰ Galat. iv, 19. ⁴¹ Matth. vii, 21. ⁴² Joan. vi, 38.

Deum esse : aiunt enim : *Novimus te qui sis sanctus Dei* ⁴¹. Sed quoniam defecerunt, jamque nec volunt nec possunt, hunc, Dominum suum appellare; etiam ejus voluntati obtemperare nequeunt. Solus igitur ille censendus est Christianus, qui Christum simul Dominum suum confitetur, simul eidem obsecundat. Qui enim habet, et confitetur Christum Dominum suum, virtute cognominationis a Christi nomine confirmatur, ut se ad arbitrium ejus voluntatemque accommodet. Si non confirmatur, tum eum ore tenus Christum confiteri, corde autem longe ab eo distare certum est ⁴². Fieri siquidem non potest, ut qui medullitus Christum Dominum suum confitetur, non etiam ejus voluntati parere queat. Magnitudini enim fidei alacritatis ad exsequendam Dei voluntatem incrementum respondet. Ergo qui mandata conficit, secundum proportionem obedientiæ suæ, modum ac mensuram fidei suæ demonstrat. E contrario, qui mandata negligit, pro portione cessationis, omissionisve, quantum in fide claudicat, ostendit, et pro incredulitatis suæ modo gratiæ detrimentum accipit. Nam ut sine Christo Christi voluntatem facias, haud est possibile, id quod ipsemet testatur : *Quia, inquit, sine me nihil potestis facere* ⁴³. Jam qui Christi voluntatem non facit, absque Christo est, nec ex eo quod Christum confitetur, ullam utilitatem capiet. Etenim Christum confiteri, et Christo obedire, quanquam deo videntur, tamen non duo, sed unus quiddam sunt : nec enim unum sine altero constat, tametsi ignorantes quidam aliter sentiant. Audi apostolum : *Fides sine operibus virtua est in semetipsa* ⁴⁴. Et Dominum : *Quid me vocatis, Domine, Domine, et non facitis quæ dico* ⁴⁵ ? *Amen, amen dico vobis, omnis qui facit peccatum, non est servus Christi, sed peccati* ⁴⁶⁻⁴⁷. Servus autem peccati in domo Dei et Patris manere non potest in æternum : sed Filius, et quem Filius a servitute peccati liberaverit. Atqui domus Dei et Patris, regnum est ejus. Si quis ergo christianus appellatus dicit : Confiteor Christum, et in ipsum credo, et in hac sola confessione christianismum suum constituit, seque hac via regnum Christi assecutorum arbitratur, seipsum seducit. Quoniam enim modo christianus erit, qui in singulos dies, vel potius in singulas horas Christum operibus negat, quem Deum esse verbis confitetur ? Ea Apostolum dicentem : *Deum confitentur se nosse, factis autem negant abominati, incredibiles, et ad omne opus bonam reprobi* ⁴⁸. Nam qui jussa Christi contemnit, is se existimet se non etiam hoc ipso Christum negare. Quoties enim mandata Christi violat, toties eundem negat : ut e diverso, qui legibus ejus obedit, singulis actionibus obedientiar illius Christianus confitetur. Quia ut factis negant, qui verbis

tantum credunt, sic operibus fidem suam testantur, qui verbis eam confitentur; quoniam timeant Deum, quem confitentur.

Timere autem Deum, aliud nihil est, quam nihil improbi facinoris committere, cum nemo videt. Multi quippe propter timorem hominum, propter pudorem, propter gratiam a flagitio temperant; quod proinde est, ac si perpetrarent. Quemadmodum ex altera parte, qui his causis commoti, libidabile quidpiam præstant, eodem loco sunt, quo qui non præstant, propterea quod quicumque in recte factis hominum favorem plausuque aucupator, aut ex alio quodam affectu ea suscipit, reprobus est apud Deum. Verum in omni opere, verbo, cogitatione is finis propositus esse debet, ut Deo placeas, illumque honores, convenienter sententiæ apostolicæ : *Sive comeditis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite* ⁴⁹. Quod si verbum hoc verum ac certum est, sicut est (regis enim et judicis, et Domini Jesu omnipotentis est), nempe : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum* ⁵⁰, quid supra Scribas et Phariseos præmissi reportant, qui injustitia abundaverint ? Si enim illi, cum essent extra gratiam, justitia erant præditi, et qui Christum, hoc est Deum induerunt, potius injustitia cumulati fuerint, num qui a regno cælorum velut exsulatum mittantur, dignissimi non erunt ?

GRATIO IV.

ARGUMENTUM.

Qui petit, nesciens quid petat, eum frustra petere. Quod si etiam scit quid petat, nec tamen prius accepit quod petit, id ei nihil prodesse. Quod sit regnum cælorum, et qua ratione Christiani id acquirant. Quis sit malus (dæmon) et quo pacto ab ejus jugo liberari possimus. Quomodo, et per quæ tandem opera anima resurgat.

Plerique Christiani, partim qui cultu monastico incedant, partim qui in vita mundana pietati dant operam, spirituales sese fructum percipere optantur, cum Davidicos psalmos, et reliqua cantica cecinerint tantum quod ea decantant, et se ita glorificare Deum optantur; nescientes se et illum exacerbare; et præterquam quod nullum consequuntur emolumentum, etiam non levi peccato ex hoc obstringi. Omnis enim sermo non simpliciter sermo, sed alicujus rei sermo est. Nam si quis esurit et sinit, et nudus est, si rogaverit panem et vinum, et vestimentum, num ei satis est tantum modo loqui; an, si nihil obtinuerit, ipse quemadmodum antea esurit, sinit, nudus est, et sermo ei nihil contulit ? Idem in canticis omnibus usu venit. Quæ enim psalluntur, aut petitiones sunt, aut gratiarum actiones eorum, qui, quæ petunt impetrant. Qui igitur dicit Deo : *Adveniat regnum tuum, nisi modum regni didicerit, quomodo ad-*

⁴¹ Marc. i, 24. ⁴² Isa. xxx, 13. ⁴³ Joan. xv, 5. ⁴⁴ Tit. i, 16. ⁴⁵ I Cor. x, 31. ⁴⁶ Matth. v, 20.

⁴⁷ Jac. ii, 20. ⁴⁸ Luc. vi, 46. ⁴⁹⁻⁵⁰ Joan. viii, 51.

veniet? Sin modum quidem intelligat, quo venit, ipse autem qui regnum advocat, idcirco preces concipit, ei subjectus non est, quid lucri ex eo quod dicit: *Adveniat regnum tuum, referet?* ait enim Dominus in Evangelio: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*⁵³. Quo ergo qui omnia ex nihilo producit, quique implet omnia, et est ubique, et regit omnia Deus, quo, inquam, ille, et regnum ejus nunc abierunt? Utique nisi recessisset et nunc redisset, non dixisset: *Quoniam appropinquavit*. Non recessit ille, sed ipsi nos ab eo abruptimus: ab ipso enim Adamo condito nobis conjunctus erat. Qui postquam fraude circumventus, scelere se obligavit, regnum Dei, quod est Spiritus sanctus, a nobis seclusum est. Nequit enim Deus bonus et sanctus cum improbitate habere commercium. Porro cum ipsi per nos ad bonitatem regredi non valeremus (quemadmodum et pannus lacer, luto et putredine factus, a semet, et sine aqua ablui non potest), idcirco ipse rursum venit, qui nos valet abluere, ut nos primum aqua, Spiritu sancto mista ac temperata lavet: deinde mundus ipse super mundatos regnet: ut super nos regnans, per nos voluntates suas in opus deducat. Nisi enim ipse imperium in nos teneat, a nobis fieri quod illum delectet, neutquam potest. Quocirca quicumque suo regno Dei prius non fuit, nec secundum intellectum sentit, Deum in ipso voluntatem suam per Christum explere, frustra defatigatur, frustra vivit, impostoris regnum etiamnum patitur, nec animadvertit. Etenim nisi anima intelligens, regni Dei, quo contacta est, sensum intellectualem acceperit, salutis nulla spes relinquitur. Ceteram ratione utentem animam quæ regnatur, divinitatis regnantis beneficia et sancti Spiritus multiplicem efficientiam intelligere oportet, charitatem, gaudium, pacem, longanimitatem, et cœtera. Ubi namque Deus rex est, ibi diabolo non servitur: sed omne ministerium ad Deum confertur.

Rursum qui Deum ita precantur: *Libera nos a malo*, nisi quis sit ille malus, et quomodo possideantur a malo, et quæ ejus vincula, quæ item ejus in subjugatos potestas, cognoverint, quo pacto Deus illos liberabit? Quod si hæc eos non latent, nec tamen a malo liberati sunt, clamare assidue: *Sed libera nos a malo, quid prodest?* Malus enim est, qui in naturam humanam legem peccati implicuit diabolus: quem quoad actionibus cum improbitate conjunctis colimus, non est pars nostra ille bonus, nec Dei regno dignus, ut qui ipsum falso Deum Patremque nominemus, cum diabolum principem, et patrem, et dominum, ac deum habeamus, cujus et caracterem in nobis per opera vitæ nostræ ferimus, sicut Judæis alicubi objicit Dominus: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis fa-*

*cere*⁵⁴. Et: *A quo quis victus est, hujus et servus est*⁵⁵. Quemadmodum enim filius omnis similis est patri (filius quippe non nisi ex natura patris sui existit), sic et Christianum Patris sui, Christi, inquam, similitudinem, per virtutes Spiritus, non similitudinem mali, per affectus peccati induere opus est. Quare tyrannis illius mali cognoscenda est, et qua vasritie ac dolo eam exerceat: qua item via evertenda ac destruenda sit, ut docti regnum Christi, ejusque precepta nativitate idipsum in veritate advenire et a cupiditatum laqueis, malique servitute expediri, vindicarique desideremus. Verumtamen vero his duntaxat regnum Dei advenit, qui ipsum cognoverunt: et in quibus regnat, eos angelorum cives reddit. Nam ex inobedientia primi hominis genus humanum maledicto devinctum est: maledictum consecuta est corruptio, corruptionem excepit interitio. Contra, ex obedientia secundi hominis, Christi videlicet, pervenit ad nos beneficium, ex benedictione incorruptio, ex incorruptione immortalitas, ex immortalitate vita, et ut olim, vita ex Deo. Ubi enim est Deus, inde diaboli ac demones fugiunt. Ita liberatio a malo, et a demonibus ejus, redemptioque generi hominum per Christum paria est: ante quam libertatem nemo se hominem existimet. Melius enim erat, ei si natus non fuisset.

Porro duo sunt in his qui quid petant nesciunt: ignorantia et stupor. Et ignorans quidem quid dicat non videt: stupidus quid roget, nescit. Quis autem princeps misericordiam petenti, et tamen quæ illi præstatur misericordiam ignorant, aut non intelligenti quod dicat, largiri solet, quæ labiis tantum simpliciter, et quasi ex sola consuetudine, ut res sonans, aut cymbalum tinniens promittit? Propter hoc regnum diaboli, et potestas ejus adversum Christianos invalescit ac stabilitur. Et hinc tum monachi, tum sæculares christiani mendaces, maledici, criminatores, perjuri, zelotypi, invidi, queruli, detractores, avari, raptores, iniusti, hypocrite, fornicarii, adulteri, lascivi, improbi, superbi, legirupæ inveniantur. Et hæc dici, atque esse Christiani gloriantur, populus stultus, insipiens, inobediens, ingratus, sine affectione, absque fœdere, osor hominum, osor fratrum, osor patrum, osor liberorum, osor amicorum, Deo odibilis. Væ talibus cum Deo laudes concitant; væ cum dant elemosynas; væ cum dona Deo offerunt: væ cum Deum adorant; væ cum preces ad eum fundunt. Etenim *viæ impiorum abominabiles coram Deo*⁵⁶, et precatio iracundi ac malevoli, odor deterrimus: elemosyna superbi holocaustum canis, et beneficentia libidinosi, merces meretricis: avari munus, sacrificium immundum, et sanguis suillus. Sed enim interrogabit quispiam fortasse, quid igitur isti faciant? Quisque eorum, quod illum decet. Qui indignitatem suam perspexerit, cum sacer-

⁵³ Matth. 10, 2. ⁵⁴ Joan. viii, 44. ⁵⁵ II Petr. 1, 19. ⁵⁶ Prov. xv, 3.

dote congressus, rationem veritatis edocebitur, A quatenus ei Evangelium justitiæ revelatum fuerit et tunc aptum et conveniens Christiano homini vitæ institutum capesset.

Discendum est ergo prius, quid sit : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* ⁸⁷. Quæ sit bona voluntas. Quid illud : *Deus Dominus, et illuxit nobis* ⁸⁸. Quid illud : *illucere*. Christianus enim quilibet, qui Deum ejus jussis factitandis, mandatisque custodiendis non glorificat, nihil ab iis distat, qui in Deum non credunt, nisi etiam iisdem deterior est : *Si ego Pater sum, inquit, ubi est honor meus? et si Dominus sum, ubi est timor meus* ⁸⁹ ? Placuit autem Deo et Patri humanam naturam, quæ a vita divina per peccatum desciverat, secumque inimicitias suscepit, per incarnationem Filii sibi reconciliare, eamque cum divina vita denuo copulare, ut item Apostolus scribit : *Justificati per fidem Domini nostri Jesu Christi, pacem habemus ad Deum, per conversationem in Christo* ⁹⁰. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceris solvit, inimicitias in carne sua* ⁹¹, *et pacificavit per sanguinem crucis suæ per semetipsum, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Et nos cum essemus aliquo modo alienati, et inimici sensu in operibus malis, nunc reconciliavit in corpore carnis suæ per mortem, et exhibuit nos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso : si tamen permanetis in fide funduti, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii quod audistis, quod prædicatum est omni creaturæ quæ sub cælo est, cujus factus sum ego Paulus minister* ⁹². Christianus enim, qui per transgressionem mandatorum Evangelii Christo resistit, et cum Deo bellum gerit, sibi met, ac Deo inimicus est et cum eo pacem habere nequitiam potest. Eousque siquidem inimici atque hostes Dei sumus, etiamsi fidelium nos appellatione velemus, quousque passionibus ignominis servire concupiscimus : *Apparuit, inquit, gratia Dei et Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria pie, sobrie, et juste vivamus in hoc sæculo* ⁹³. Igitur qui non pie vivit, impius est. Et qui non sobrie ac juste vitam traducit, multum abest ut ei gratia Dei salutaris appareat. Et quomodo hic Christianorum ordine et loco censeatur ? Ingressus vero templum Domini, quid dicet ? gratias agat, an petet ? Si illud, semet fallit, utpote non habens, cum non acceperit, et nequidquam gratias agens. Si hoc, qua petitione ? quam non novit, et quam ignorat ? Talis nullius pretii, et inutilis est, tanquam incredulus, et mortuus, et atheus : incredulus, quoniam Christi resurrectionem non suscepit, summopere mentiens, cum in cantico dicit : *Christi resurrectionem speculati, etc.*

Ipsa enim adhuc inter mortuos versatur, nec hausit a Deo rorem, qui intelligentia perspicitur, et mortuis sanitatem imperit. Christi quippe resurrectio et gloria, nostra, qui sepulti infra jacemus, resurrectio est, quæ per resurrectionem ejus in nobis fit, ostenditur, et apparet, ut est in sanctissimo responsorio, quod ore nostro quotidie depromimus : *Christi resurrectionem, speculati, adoremus sanctum Dominum Jesum Christum, qui solus omni peccato vacat*. Ille enim cum nunquam peccatum ullum admisit, ut scriptum est, nec ullam gloriæ suæ immutationem quoquomodo passus, qui resurget aliquando, et glorificabitur, qui supra modum, et supra omnem principatum, et potestatem glorificatus est, et manet ? Sed resurrectio, et gloria Christi, nostra est gloria, ut diximus, quæ per resurrectionem scilicet ejus in nobis fit, et in nobis conspicitur. Quis enim nostra semel assumpsit, quæ in nobis ipse facit, ea sibi ascribit. Et quemadmodum ipse Christus, et Deus noster in cruce suspensus, cum in seipso peccata mundi cruci affixisset, mortemque gustavisset, et in infima inferni descendisset, deinde rursus exstitisset, in immaculatum corpus suum revertit, a quo, cum eo descenderet nequaquam dissociata est ejus divinitas, statimque a mortuis resurrexit ; ac deinde cum virtute et gloria multa in cælum ascendit : sic sane et nunc nobis de mundo egredientibus, et imitatione quadam passionis ejus pœnitentiæ, et humilitatis monumentum quoddam subeuntibus, ipse de cælo descendens, corpus nostrum ceu sepulcrum ingreditur, unitusque animabus nostris, convenienter eas a morte suscitavit.

Resurrectio autem animæ, est illius cum vita conjunctio. Sicut enim corpus mortuum, nisi animam viventem in se recipiat, et cum ea absque mixture misceatur, non dicitur, nec dici potest vivere : sic nec anima sola per seipsam vivere potest, nisi modo quodam inexplicabili, etraque confusionem cum Deo, qui vere vita æterna est, consocietur, et uniat. Unita autem Deo, mox ei, qui ita cum Christo resurrexit, mysticæ resurrectionis suæ gloriam cernendi facultatem præbet. Hinc dicimus : *Deus Dominus, et illuxit nobis*. Et secundum significantes adventum, subjicimus : *Benedictus qui venit in nomine Domini* ⁹⁴. Hanc resurrectionem qui liquido non vidit (utpote incredulus, impius ac mortuus), nec Christum Jesum ut sanctum, ac Dominum adorare potest : *Nemo enim, inquit, potest dicere : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* ⁹⁵. Et alibi : *Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* ⁹⁶ ; hoc est, in Spiritu sancto, et in unigenito ejus Filio. Hic autem infidelis est, qui idem per opera non ostendit, quando fides secun-

⁸⁷ Luc. ii, 14. ⁸⁸ Psal. cxvii, 27. ⁸⁹ Malac. i, 6. ⁹⁰ Rom. v, 1. ⁹¹ Ephes. ii, 14. ⁹² Coloss. i, 20-23. ⁹³ Tit. ii, 12. ⁹⁴ Matth. xxi, 9. ⁹⁵ I Cor. xii, 3. ⁹⁶ Joan. iv, 24.

dum Jacobum apostolum sine operibus in se ipsa est mortua, sicut et opera sine fide⁹⁷. Mortuus autem ideo, quia vivificantem Deum in se non habet; quandoquidem eum qui dixit: *Qui diligit me, mandata mea servabit, et ego et Pater per Spiritum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*⁹⁸, in sese non possidet, qui presentia sua ipsum a mortuis excitet, atque vivificet, et tum excitatum in se, tum excitatorem videre largiatur. Cum enim in nobis per Spiritum fuerit, animas nostras a mortuis resuscitat, easque vita munerat, conceditque ut ipsum totum, qui immortalis, et interitus expers est, vivere in nobis videamus. Etenim anima, antequam se Deo unitam cognoscat, videat, ac sentiat, quamquam intelligens, et natura immortalis est, nihilominus mortua, caeca, et sine sensu est. Atheus autem est, quia si iudicium futurum, et supplicia sempiterna credidisset, vitam suam in nugis non exigeret. Nunc tam eos videri in perniciem ruere, quam nec ethnicos, super quos nomen Dei invocatum non est, indignum est. Et ambulat subnixi, nec majores suos miseri intuentur. Non sunt isti Christiani ne semet iustificentur, non sunt: sed impii, et sine Deo, et increduli; praesertim si monachi, aut sacerdotes sint, prohi dolor! Sin autem episcopi, o Christe, patientiam, et longanimitatem tuam, quod non terra dehiscit, eosque absorbet.

Si quis hujusmodi peste laborat, quomodo, obsecro, in templum, et maxime in Sancta sanctorum ingrediatur? Scribens enim ad Corinthios Apostolus clamat: *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubinatores, neque avari, neque ebriosi, neque malevoli, neque raptores, neque iniusti, regnum Dei possidebunt. Et haec fuistis, inquit, sed abluti, sed sanctificati, sed iustificati estis in nomine Domini Jesu, et in spiritu Dei nostri*⁹⁹. Qui enim ablutus, et sanctificatus, et iustificatus est, ad ista aut immobilis est prorsus, aut difficile movetur. Quod si eo levi momento impellitur, eam de integro contaminatum, et ablutione gratiae unctum, iustitiaeque spoliatum, atque ideo ab Ecclesia Christi semotum, et ejus solo, ingressuque in templum Domini indignum esse constat. Quisquis ergo talem in se characterem animadvertit, saluti suae prospiciat, certo sciens se extra christianismum esse Christumque sibi nihil profuturum: sed eum diabolo in ignem illi preparatum abiturum. Nisi

enim sigillatim Christianorum mysteria cognoverit, scilicet per virtutem Christi intelligibilem iterum conflari, ac refinari debere, et in divinum hominem transmutari, fierique novam creaturam, et hominem novum, quo fides et baptismus referuntur, frustra Christiani nomen usurpat. Nam quicumque servatur, aut rediatur, aut liberatur, aut honore augetur, aut beneficio afficitur, aut opibus cumulatur, ab alio, non a seipso unumquodque horum assequitur. Quin etiam omnis qui lapsus, et attritus est, ab alio erigitur, et portatur, cum semet erigere non queat. Verumtamen, si se lapsum sentit, a quo erigatur, querit, et inventum regat, hortaturque. In sanitatem autem restitutus gratias agit, eumque collaudat, a quo erectus, sublatus, et sanatus est. Sic Christianus quilibet, ante sanitatem exorans illum, cujus opera sanandus est, potius sanitate gratias agit medico. Quod nisi fiat, omnia inania, et cum his quoque psalmodiae, seu paucae, seu multae, inanes ac vanae sunt.

ORATIO V.

ARGUMENTUM.

Qui mysteriorum divinarum participes fieri debeant, et quis indigne manducet, et bibat corpus, ac sanguinem Christi, ut Apostolus loquitur (1 Cor. xi, 27-29).

Doctrina Patrum est, quemadmodum vir nobilis, et copiosus, si tritum, et directum relinquens iter, perque avia, et solitudinea ambulans in latrones incidit, veste elegantia dispoliatur, villique ac detrita, et carnes eruoreque redolente tunica coopertus, cum ipsis crapulae, et ebrietati, rebus turpibus, et latrocinio vacat, expertusque et delectatus edacitate illa, potatione, libidinum soribus (5), tandem tam facile, et latronum more vivendi consuetudine obfirmatus, et totius cognationis suae, et honeste, ac illustris, ordinisque vitae prioris, amore gravitatis, et honestatis, in eo penitus frigente, velut oblitus manet: pari modo Christianus, si deserta Christianis congruenti semita, diaboli via procedat, hoc est, si molestiam, frugalitatem vitae, morumque gravitatem parvi ducat, et illa inania in amoribus habeat, iniustitiam, avaritiam, rapinam, atque ex his ad immunditiam, fornicationem, proterviam delabens, et ita comparatus, gloriam quae datur ab hominibus persequatur, postquam per iter istiusmodi in manus demonum devenerit, aliquando et ipso baptismo sancto, ejusque indicio et insigni nudatur,

⁹⁷ Jac. ii, 20. ⁹⁸ Joan. xiv, 23. ⁹⁹ 1 Cor. vi, 9-11.

(3) Ἔστιν ἡμεῖς καὶ αὐτὸ τὸ ἄγιον ἐκδύεται βάπτισμα, καὶ τοῦτου γνώρισμα, ἕταν λέγη μὴ δύνασθαι ἕλω, δοῦναι διακοπήν τῇ ἀσέλγεια εἰ μὴ μόνον ἐν καιρῷ τοῦ λόγου τῶν ἀσέλγιστων. Ad verbum. Est enim et ipsum sanctum exauditur baptismum, et ejus insigne seu nota: cum quis dicit: se non posse turpiter maledicere, nisi ex turpissimis satietatem cepit. Locus durior, nisi molliatur benigna interpretatione: quod fiet, si quis asserat Simeonem

non loqui de quibusvis peccatoribus; sed de illis, qui, ut Salomon ait, in profundum venerunt, latanturque in rebus pessimis (Prov. ii, 13); et qui cum inferno pactum pepigerunt. Isti enim exunt baptismum ejusque notam, non quidem reipsa, cum baptismi character sit indelebilis; sed vita et moribus, cum actiones suas, totamque vitae rationem non aliter instituant, quam si diabolo ejusque pompe in baptismo nunquam renuntiassent.

cum affirmet, improbitati ac petulantiae nuntium A remittere se plane non posse, ni ante e rebus spurcissimis satietatem ceperit: potissimum si immaculatum Christi corpus, ac pretiosum sanguinem sumere non dubitaverit.

Vae tum ei qui porrexerit, tum ei qui suscepit. Huic, quia quo majore cum improbitate sumit, eo magis propter imprudentiam, et audaciam diabolicæ potestati subijcitur, derelictus a Deo, sicut in sacro Evangelio scriptum legimus de Juda, cum Dominus in cœna illa divina buccellam intinctam ei porrexisset, illeque accepisset, statim Satanam in eum intravisse. Illi, quia purissimo corpore, et sanguine Domini dignatus est hominem, qui nec pedem in templo ejus ponere dignus fuit: quicum etiam cibum capere Christiano cuilibet interdictum est: *Si quis enim, ait Apostolus, frater nominatur, et est aut fornicator, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* ⁷⁰. Viden' quomodo nec frater est, nisi solo nomine? et damnatum esse proditorum, siquidem hominem peccando tanquam a via deflectentem, et aberrantem, perfectum Dei inimicum reddidit. Sed talis placide rogandus, futurarumque et horribilium poenarum peccatoribus decretarum redintegranda illi memoria, et commendandus, aut instar cæci manu ducendus est (nam oculis orbatos non punimus, sed manu ducimus), aut ut demens miserandus, ut qui a diabolo vexetur quo auribus sibi a Domino Deo apertis, C impietatem suam aliquando cognoscat, iterumque per poenitentiam ad fidelem ordinem aggregetur. Talis enim in impietatem ruit, qui si Christum sancte coluisset, et Deum esse cognovisset, qui non vult iniquitatem, juxta illud: *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt iniqui ante oculos tuos* ⁷¹. *Et: Odit Dominus omnes qui operantur iniquitatem* ⁷², pavore ac metu se contrahens, corpus ejus contingere nolisset, ne angelica rhomphæa percussus interiret.

Verumenimvero quia hujus generis non pauci in mundo, coram hominibus erubescerent (nimirum ne indigni videantur) divina participare non reformidant quos si quis ab ea audacia deterreat, molestus videtur, et convicia recipit, non enim intelligunt, se id facere, quod erubescant, sed cum immaculata communione prohibentur, incitantur amplius ut sese in recordiam, summum contemptum, desperationem, perditionemque præcipitent, nec a tanto periculo, quanto majus nec est, nec fuit (per indignam quippe communionem, corporis Christi, et sanguinis rei sunt) eos revocanti gratias agent. Quid autem intolerabilius, quam supplicium tale incurrere, quale perpetientur, qui Christum in cœnem egerunt? Quia, inquam, multi tales sunt, ita eos tractare oportet. Cogenda fratrum multitudo, et Deus super his cum lacrymis invo-

candus, ut eos Satanae tradat in interitum carnis, quo spiritus salvetur in die Domini. Quid porro vult tradi Satanae in interitum carnis? ut morbis, et incommodis, et doloribus, et plagis, et vulneribus pene immedicabilibus, et variis, atque omnigenis invaletudinibus corpus jactetur ac lancinetur, quemadmodum diabolus Job percussit ulcere pessimo, a pedibus usque ad verticem: ut propter contritionem corporis quanquam inviti sapiant, et quod sani refugerunt, cum gemitibus, cruciatuque præsent. Deus enim anima peccante, corpus ad poenam vocat. Sanctitudo autem divinae communionis peccata dispellendi, animæque ab affectione, et impulsu ad ea purgandæ vim ac potestatem validam habet. Et sicut in uno vase ignis, et aqua simul esse nequeunt: ita nec mundissimum Christi corpus, et detestabile peccatum in uno eodemque christiano. Quod si amore peccandi irretitus, jam sanctam Christi carnem, impollutumque sanguinem participat, illico non interit, ibi tamen reconditur, *ubi vermis non moritur, et ignis non exstinguitur* ⁷³. Quamobrem si talis in omnem aeternitatem cum diabolo ignem perferre potest, intrepide participet. Sin autem, expedit ei ad tempus a sacra communione arceri, et poenitere, item aliquandiu indulgere lacrymis, quodque ad se attinet, sudare paululum, frenare aliquantum, ac domitas habere libidines, ac tum denum nullo periculi metu communicare, ad expellendum introgressum, tyrannyceque ad lasciviam, aliasque impuritates sollicitantem Satanam. Etenim qui turpibus rebus impense delectatur, haud per se id facit, sed ab ipso diabolo impulsus, cui ab ipso inestus, ostium appetitus sui voluptarii reseravit, ut inde caput suum proferret. Et nunc sensim ingressus, plane ut super lectulum cordis recubat: perinde ut qui a demonibus agitantur, sepe cum voluptate ster- cus devorant. Quod cogitare secum debet, quem propter multam Dei misericordiam, visitationemque serpens antiquus vel paulum sapere patitur, et ad Christum confugere, qui solus et demonibus abigere, et tam animi quam corporis morbos depellere potis est.

D Porro scire licet, quinque hominum genera sacra communione a sanctis Patribus excludi. Primi sunt catechumeni, utpote baptismo nondum expiati. Secundi, baptizati quidem, sed qui sordes et peccata diligere cœperunt: nam hi vitæ sanctæ desertores, et apostatae nominantur. Tertii, qui a malis spiritibus humano generi infestis, et adversariis insidentur, et occupantur. Quarti, qui a vita facinorosa recesserunt illi quidem, verum adhuc poenitentiam agunt. Quinti, qui non totam vitam suam Deo consecrarunt, nec in Christo omnimodis sine crimine vivunt. Quatuor quippe sunt, dignus indignus, dige in igne. Indignus omnino, a cibo

⁷⁰ I Cor. v, 11. ⁷¹ Psal. v, 6. ⁷² Ibid. 7. ⁷³ Isa. LXVI, 24.

et potu isto rejicitur. Dignus autem, siquidem di-
 gne accesserit, dignus est: si indigne, *judicium*
sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Do-
mini ⁷⁴. Quinque enim ponuntur ordines ejectio-
 norum ab Ecclesia: catechumeni, ut nondum
 baptizati: fornicarii et adulteri, in masculos insa-
 nientes, corrupti, homicidæ, avari, raptores, in-
 justus, superbi, iniqui, impenitentes in his sceleri-
 bus; a demonibus, possessi; qui ad poenitentiam
 et confessionem accesserunt, et ut ad tempus de-
 finitum extra manerent, poeniti sum; postremi, qui
 perscriptum poenitentiae spatium nondum comple-
 verunt. Hi igitur, id est, quinque ordines isti,
 manifeste indigni sunt (4). Dignus autem corpore,
 et sanguine Christi potus et inceptus. Cum vero
 quispiam dignus, alicujus errati, ut homo repre-
 hensus fuerit, talis dignus indigne susceperit, si
 non, quod in ipso reprehenditur, excusserit et al-
 jecerit. Itaque et ille edit ac bibit indigne, qui cum
 dignus sit, digne tamen non accessit.

ORATIO VI.

ARGUMENTUM.

Homines pecunia, vana gloria, et voluptatum ille-
cebris capi, atque irretiri scelere.

Tria sunt, quibus anima omnis in hanc vitam

⁷⁴ I Cor. II, 29.

(4) Cur non baptizati a sacra communione
 repellantur, ratio in promptu est; quia baptismus
 ad omnia sacramenta fores punit. Secundo rejicit
 Simeon ab hac cœlesti mensa peccatores, ma-
 nifestos nimirum et publice notos; scortatores,
 adulteros, raptores, et hujus generis alios; ut in-
 semet Simeon explicat. Vide S. Th. III p., q. 67.
 art. 6, et ibid. Franc. Suar. sect. 2 et 5.

Tertio, excludit energumenos, seu a demone
 obsessos. eosdem excludit S. Dionys. Areopag.
 cap. 5. *De cœlesti hierarchia*, part. II; collocat
 enim illos extra templum eo tempore, quo res
 divina peragitur, inter catechumenos et publice
 poenitentes: quem S. Thomas III p., q., 69, art. 9,
 interpretatur de energumenis nondum baptizatis,
 in quibus scilicet nondum est vis demonis extincta,
 quæ viget in eis per originale peccatum. Cum ener-
 gumenis baptismatis unda abluis dicit S. Thom.
 idem servandum esse, quod cum cæteris amentibus,
 nimirum si absque periculo irreverentiae
 communicare possint, et intervalla habeant, non
 esse illis negandam Eucharistiam; nam ejus vir-
 tute et auxilio aut demon expelletur, si id ad
 salutem hominis conducatur; aut certe corroborabitur,
 ut æmulum illam generoso animo perferat. Hanc doctrinam confirmat sanctus Thomas testi-
 monio Cassiani, cujus hæc sunt verba collat. 7,
 c. 50: *Communione vero eis (obsessis) sacrosan-*
ctam a senioribus nostris nunquam meminimus in-
terdictam: quinimo, si possibile esset, etiam quoti-
die eis impartiri eam debere censebunt. Paulo post
 subdit: *Hoc namque modo curatum et abbatem An-*
dronicum nuper aspeximus, aliosque complures. Ma-
gis namque ac magis inimicus insultabit obsesso,
cum eum a cœlesti medicina viderit segregatum, tan-
que dirius et frequentius attentabit, quanto eum a
spirituali remedio longius senserit abdicatum. Hæc
 et has Serenus apud Cassianum: Sic etiam Ti-
 motheus Alexandrinus episcopus in suis Respon-
 sionibus vult, ut energumeni statis temporibus
 Eucharistiæ sacramentum percipiant, etsi non

ingressa capitur et subjugatur, pecunia sive opes,
 gloria, voluptas. Omnis namque homo, mundum
 hunc propter primam primi hominis prævarica-
 tionem locum afflictionis et supplicii, ac sola in
 morte miseriarum, et ærumnarum esse requiem
 ignorans, cum traducere vitam incipit, ad eam
 citra molestiam, citraque indigentiam traducendam
 opes expetit: et procedens in honore et gloria
 esse desiderat. Ubi ver ætatis contigerit, jucundis
 rebus frui; ut sensus compos, iis qui sensibus per-
 ciuntur: ut aspectabilis, aspectabilibus: ut tem-
 poraneus, temporaneis. Nam qui videt ea quæ sub
 oculos cadunt, etiam ea quæ non cadunt videre
 nequit: sicut qui illa inaspectabilia contemplantur,
 similiter quæ aspectu sentiuntur, intueri non pos-
 test. Quisquis enim in vitam hanc quæ videtur,
 nuper introivit, nisi doceatur, nescit num quædam
 existent, oculorum sensum fugientia: atque etiam
 hoc ipsum ignorat se eaducum, et mortalem esse,
 nec se propter præsentem hanc, sed alium quem-
 dam perpetuumque mundum procreatum: quem
 ut mereatur, hic erudiri præparari, ac perfici de-
 beat. Tenendum itaque, si hæc tria ei dominabun-
 tur, fore ut ab iis etiam cum volet, se extricare
 non valeat: uti nec passer tendiculis implicitus

quotidie. Idem docet Balsamon scholiis ad Theo-
 thei Responsiones: Vide Francisc. Suarez tom. III,
 d. 69, sect. 2, in fin. Exstant quæstiones mona-
 chorum quorundam, et ad easdem responsa, ubi
 queritur an oporteat demoniacum communicare
 sacramentis, sanctum enim Timotheum aliter di-
 xisse; et aliter sanctos apostolos: Responsio est:
Num qui vere sit demoniacus sacramentis minime
dignandum esse. Quod tamen Balsamoni in scholiis
 ad ejus Responsum non probatur, si loquamur de
 illo demoniaco, qui mentis interdum est compos;
 et a demonis agitatione nonnullam quietem in-
 terdum habet.

Quarto excludit Simeon ab Eucharistia publice
 et solemniter poenitentes. Nam istis non dabatur
 Eucharistia durante poenitentiae tempore, nisi pe-
 riculum vitæ impenderet; quod cum aliunde, tum
 ex canonibus apud Gratianum 23, quæst. 6, et ex
 eod. de poenitentibus de consecrat. d. 3, liquet.
 Legantur epistolæ, ut sic vocem, *Pœnitentiales*,
 Dionysii Alexandrini, S. Athanasii, S. Gregor. Thau-
 maturgi, S. Gregor. Nysseni, S. Basilii, et alio-
 rum cum Balsamoni commentariis.

Quinto rejicit illos a sacra Synaxi, οὐ μὴ ἔλην
 τὴν ἐκτετακὴν ζωὴν τῷ Θεῷ ἀναθέμενοι, καὶ ἐν Χριστῷ
 ζῶντες ἄρρωστοὶ παντελῶς, qui totam vitam suam
 Deo non consecrarunt, neque prorsus in Christo, sine
 crimine vivunt. Ubi Simeon non videtur loqui de
 illis, qui vel post baptismum, vel post confessionem
 peractam deo peccant; sed de illis, qui in idem
 lethale peccatum sæpius recidunt, quos vulgo re-
 cidivos nominant. De quibus Nestenta in suo No-
 minatione: *Sunt enim multi, inquit, qui consuetu-*
dine rursus labuntur, et in peccata incidunt. Hi
ergo debent semper confiteri, quoties ceciderint,
etiamsi injunctas pœnas compleverint, quas ab eo,
qui ipsos ligavit, acceperunt, nunquam autem com-
municant. Sin autem eorum omnino misereris, com-
municant: cavendum est tamen ne communicent,
donec peccatum absciderint. Misericordiæ enim gra-
tia sic quoque digni habentur.

fugere, quamvis alas multum concusserit: auxilio enim virtuteque sublimiore indiget. Sunt hæc nempe firma diaboli retia, per quæ homo in potestatem ejus redigitur, et aliquando post mortem quoque ab eo relinquitur. *A quo enim qui victus est, ejus et servus est* ⁷⁵. Valdam nimirum vim hæc tria habent, ut aspectabilia, et fructuosa, et appetitui dulcedine sua ante blandientia, eoque præoccupantia: deinde præoccupato, jam homini persuadentia, propterea solum hanc lucem ipsum aspexisse. Et quanquam ab his tribus obsessus devictusque non fuerit, invictum se tamen servare nequit: sed paulo post vivus ab hisdem capitur. A nobis enim arma sumit diabolus, quibus nos latenter subigit. Quocirca conandum ut præveniamus, et armaturam Dei induamus ⁷⁶, quæ multa, varia ac diversa, et tota Christus solus est. Hoc est, conjunctionem ejus, quam animo cernimus, et virtutem de plenitudine ejus ⁷⁷; virtutem dico omnis animæ vivificatricem; sine qua eam vivere, et videre perquam difficile, atque adeo impossibile est. Nam et quotquot baptizati sunt, Christum induerunt ⁷⁸, ut in eo vivant, et viventes videant, et ab his tribus minime capi possint. Revelantur enim eis quæ germana bona sunt, quorum gratia in hujus oras luminis prodierunt. Qui autem superatus fuerit Christum vehementer oret, ac exoret etiam per deprecationes necesse est, non ut sibi peccata sua dimittantur, sed ut cum Christus a servitute ac dominatu ipsorum liberet ac dimittat, cum semet, quantumvis cupiens, liberare non queat: quo liberatus tum remissionem peccatorum flagitet, et obtineat, tum divinæ virtutis commercio de reliquo ea non committat. Fortur enim canon in hæc verba: *Quicumque dixerit gratiam Dei, qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum, jam perventorum volere, et non insuper auxilium præbere, ne alia perpetrentur, anathema esto.*

In quo porro horum trium ad nos occupandos ac possidendos vis consistit? In occulta et clandestina quadam vi Satanae, qua nos ad ea, ut bona desideranda afficit, quasi requiem et letitiam animæ parientia, et in doloris afflictionisque vacuitate ipsam conservantia. Quod nisi anima prius a Deo illuminetur, oppugnationis incursum, insultumque hand facile potest intelligere; quemadmodum videmus mulierem uterum ferentem sordida quædam appetere, et ipsam solum ea ut juvenda aspiciere, atque comedere. Nam quod semper machinatur diabolus, hoc est, ne cognoscamus ipsum esse, qui talia molitur, per ea patientem, et mysterium christianismi ignorantem occulte inescans, et avertens. Est enim hoc mysterium, quod per fidem, et non ex operibus in animas baptizatorum, virtus divinitatis Jesu, quam intelligentia perspicit, illa-

bitur, eisque ostendit, quo pacto non per se ipsam pecuniarum, gloriæ, voluptatumque cupidine, et amore ducantur. In animas porro post sanctum baptismum his tribus edomitas, alia ratione talis gratia influere non potest, quam per instaurantia bona, per quæ solum confertur salus: ut per haustum sanctificatorum, per unctionem benedictarum olivarum, et unguenta sanctorum, eorumque suaveolentis perceptionem: quoniam his Christus sanctificandi vim largitur, et his animæ purgatur: et spiritus nequam, qui hanc contra naturam animi necessitudinem, et amicitiam in homine conciliant, per hæc, quæ sensus tangunt, et oculis usurpantur, Spiritus Sancti adventum, quem mens percipit, non ferentes aufugiunt. Ac tum demum christianus libertatem intelligit, quam ad se confluentibus Christus largiri consuevit, et gratias agere non desinit dicenti: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati: servus autem non manet in domo in æternum, filius manet. Si igitur Filius vos liberavit, vere liberi eritis* ⁷⁹.

Quid amplius? qui in hac cognitione divinum Christi corpus, sanguinemque participat, unum sit cum eo, *os ex ossibus ejus et caro de carne ejus* ⁸⁰: et ex quo sanctificatus fuerit, pecuniam si habuerit sic habet, quasi non haberet: qualis etiam natura sua est, talem restimat. Si gloria circumfluxerit, ea non secus afficitur, quam si careret. Et: *Qui uxores habent, inquit Apostolus, tanquam non habentes sint: et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur* ⁸¹. Ejusdem et hoc est: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei, per quem mihi mundus crucifixus est et eo mundo* ⁸²! Illud per quem, hoc significat, nisi venisset Christus, et semetipsum pro me hostiam obtulisset, et sanctificatione ejus repletus fuisset, me periturum fuisse, quando aliunde salus speranda non est. Hæc qui non didicit, ignorans est: et qui ea diserte detrectat, frustra in Christum credidit, frustra Christiani vocabulum gerit, et Christus nihil ei proderit: peccatorque deterior factus, plus virium adversus se diabolo concedit. Jejunium hujus pro nihilo est: affectiones enim peccati magis in eum insurgunt. Si psallat, aut preces faciat, diabolus eum a Deo, velut eum contemptu illi astantem, majore eum potestate abstrahit (nec enim eum pio, intelligentique timore stare potest), et ellicit ut mens nefanda quædam, et impurissima imaginetur, et ad ea potius coram Deo, quam quæ dicuntur, attendat. Si eleemosynas det, eas amittit. Qui eam in egentes munificus est, nisi animam suam hisce vinculis avaritiæ, vanæ gloriæ, et voluptatis solutam, et expeditam sciat, quæcumque dedit, perdidit. Qui eleemosynas impertit, Deus vicissim magna illi misericordia dignatur, sanitate scilicet mentis, quæ sanitas est ipsa a tribus hisce

⁷⁵ II Petr. ii, 19. ⁷⁶ Ephes. vi, 11. ⁷⁷ Joan. i, 16. ⁷⁸ I Cor. vii, 25. ⁷⁹ Galat. iii, 27. ⁸⁰ Joan. viii, 34, 35. ⁸¹ Gen.

⁸² Galat. iii, 27. ⁸³ Joan. viii, 34, 35. ⁸⁴ Gen.

malis remissio, ac liberatio. Et quoniam hinc A emigrantes animas regnum cœlorum sanas duntaxat admittit, oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem⁸⁸, officina medica morbosæ, et necessitati perturbationum expositæ naturæ hic est, et radices regni cœlestis hic infra propagantur. Nisi enim Christus hic in anima regnet, salute nusquam potietur. Hic prius denno generatur homo, ac tum demum regnum Dei videre potest. Qui autem regnum Christi necdum in se experitur, nondum natus est denno. Atqui omnino nasci oportet, ut hic regnum Dei videre liceat.

Jam mihi discrimen quoque istarum trium tyrannicarum affectionum considera, quarum una in pecunie et divitiarum, altera in honoris et gloriæ, B tertia in voluptatum consecratione versatur. Est enim invenire inter homines hunc quidem nummi, istum nominis, aliam suavium corporis motuum amantem, et cupidum : sed unum eundemque et pecunie valde sitientem, et gloriæ multam, et voluptatis prorsus appetentem invenire non poteris, nam uni potissimum deditus est, in ceterorum mediocritate acquiescit. Cui autem horum aliquid plane imperat, ac dominatur, is alia duo contemnit. Pecunie avidus ejus causa et gloriam, et voluptatem aspernatur. Illam, quia, ut obolum lucretur, pudorem et dedecus non veretur : quin etiam e rebus injustis, abjectis, inhonestis, absurdum quæstum colligere gaudet, cum ejus C animus in lucro sit totus, hanc ne impendat, et exhauriat, quam diligit pecuniam. Ambitiosus gloriæ desiderio, et nummos, et voluptatum blandimenta despicit : illos temere profundens, ut laudem et honorem adipiscatur : has repellens, ne in ignominiam, et reprehensionem incurrat. Voluptuarius et pecuniam, et gloriam in minimis ponit, dum opes suas per luxuriam dilapidat, et honorem quemenique posthabens, propter gaudia, obscenasque voluptates perfrundas, in omne genus dedecoris præceps abit. Et ab his unusquisque nec suppliciorum terrore, nec regni cœlestis amore pedem referre vult ; sed illa irridet, hæc vilipendit. Quid præterea ? Avarus voluptuarius, et ambitiosus D ludos facit : hunc, quoniam non etiam, ut ipse, et vilibus et despicabilibus rebus lucella captare dignum putat : illum, quia propter quæsitam e turpitudine jucunditatem rem familiarem, divitiasque suas absumit. Ambitiosus simile, avarum, et voluptuarium deridet : illum, quia e sordidis contemptisque rebus compendia quærit : hunc, quia dedecore et infamia laborat. Voluptuarius utrumque naso suspendit : alterum, quod propter existimationem, ne a quoquam vituperetur, seipsum ad castitatem tanquam freno cogit : alterum, quod ne sumptum toleret, continens, et paucis contentus est. Atque horum quisque a suo dæmone exstimu-

latus, alium, mali quod sibi adest cæcus, insipienter condemnat : ut utrinque tum ob morbora, tum ob condemnationem æternæ damnationis rei sint. Quocirca solam spem nostram Christum cogitemus, ut nos ab hisce tribus vinculis solvat, seorsusque nostros sanctificet ; ut divina audire oracula ; ut animo tranquillo uti aspectu possimus : ut pro maledictis, et condemnatione, penitentiam et benedictionis verba loquamur : ut salubriter tangamus, contrectemusque. Nam nisi animos nostros ab hisce aegritudinibus curaverimus, inanis est fides, inanis pietas, inanis Dei cultus, inane jejunium, inanis precatio, inanis elemosyna : hæc enim omnia ad nos a vitiis revocandos, sanandosque conferuntur. Quod si sani et integri non sumus, sine fructu in Christum credimus. Nam qui in Christum credit, habet vitam æternam, quæ est gratia Domini nostri Jesu Christi. Qui porro in Christum credit, nec vitam æternam habet, frustra in eum credit. Petat igitur, et accipiat vitam æternam, quæ, ut in Christum credere cognoscatur. Quoniam qui Christi spiritu caret, illum utique diabolus ut infidelem sibi vindicet ; nihil quippe est medium. Et ut vita æterna ex fide est, sic fides a vita æterna cognoscitur, quam utinam per misericordiam Christi, in quem credimus, jam hinc usque in sempiterna sæcula consequamur!

ORATIO VII.

ARGUMENTUM.

De labore spirituali, et in quibus sancti veteres elaborarint. Quomodo nos visdem recte fungi, et instar illorum sanctissimæ Spiritus participes evadere possimus. De perfecta commotionum a ratione aversorum vacatione, et sanctitudine. Quis sit absolutus e mundo secessus. Gloriam hominum diligentes, quanquam in ceteris virtutibus universis rite processerint, fructum nullum percipere.

Quandoquidem nonnulli, contra quam deberent, ac se magnifice sentientes, actione, contemplatione et perfectione antiquorum sanctorum, atque a Deo efflatorum Patrum nostrorum similes sese arbitrantur, et eodem spiritu præditos, quo illi vivebant, ac movebantur, ex verbis tantum sine operibus commendationem aucupantes, cum arrogantis spiritu ab eorum sentita aberraverint, age de hujusmodi hominibus sanctis disserere aggrediamur, et a rebus testatis plena fide accepta, per eorum vestigia incedere studeamus, si eos interim antevertere non possimus. Altius autem ducto principio, ad nos usque sensim delabamur.

Ergo magus Antonius in monumento sedens, quid agebat, tametsi spirituales actiones nondum plane noverat? Annon velut mortuum se in eo inclusit, nihil mundanum inferens, nec ulla de re sollicitus? Annon totus mundo mortuus, et in monumento delitescens, Deum qui reviviscere, et exurgere facit exquirebat? Annon pane solo, et aqua contentus erat? Annon multa a dæmonibus

⁸⁸ II Cor. xv, 53.

gravia sustinuit, jaenitque ex intolerandis verberibus semimortuus? Annon cum in ecclesiam pro exanimi esset illatus, ubi sensus convalnere, suapte impulsu ad pugnas edendas rediit? Nisi enim ad adversarios redisset, sed in mundo mansisset, ac nisi ad finem usque fortiter dimicasset, seseque alacri voluntate morti obtulisset, exoptatissimo Domini sui aspectu dignatus non fuisset; nec suavem illam vocem audivisset. Sed toto pectore quaesivit, impigre pulsavit, usque ad finem toleravit, et mercedem condignam retulit. Mortuus enim voluntate pro Christo, jacebat instar mortui; donec accessit, qui mortuos in vitam restituit, eumque ab inferis excitavit; a tenebris, inquam, animæ, et eduxit illum in admirabile lumen vultus sui quod intuitus, molestiisque liberatus, et mirifice recreatus aiebat: *Domine, ubi eras hactenus?* *Hæc* igitur verbum: *Ubi eras*, omnino ignorantis est, ubi erat. Illud autem *hactenus*, aspectum, et sensum, et notitiam presentis Domini declarat. Si ergo nos ita rebus nuntium remittere volumus, et ut ille perseverare, ac perpeti nos statuimus, num digni simus, qui Deum in Spiritu sancto, ut idem, videamus, et exultatione repleamur? Ab nequaquam.

Verum ad alium quoque, si placeat, nos convertamus. Magnus Arsenus ab initio renuntiationis suæ quid fecit? Nonne relictis imperatoribus eum palatio ipsorum, et sericatis aulicis, relictis item famulis, et omnibus divitiis suis, incomitatus ad monasterium ut pauper et mendicus venit, gloriamque et laudem hominum, ut a Deo glorificaretur, fugiens, quis fuisset ignorari studuit? Quid ergo? num hoc fecisse satis habuit? nullo modo. Sed qui etiam ut vilis hominibus sese vilibus equare noluit, verum pro cane se reponavit. Etenim cum illi a preposito frustum panis projiceretur, idque humi cecidisset, ille quadrupedem incedendo imitatus, non manu, sed dentibus more canis panem sublatum comedit. In cella autem residens non solum laborabat, sed multo etiam minus, quam ex opere manuum redigebatur, ad usum suum consumebat, aquam turbidam et putidam bibens. Quin et laborans, et orans, contiuenter vultum lacrymis irrigabat: et cum vesperi cepisset, usque in tempus matutinum stando preces continuabat: atque in extrema egestate, vilitateque usque ad obitum perseveravit. Cur istud? Ut pateretur prorsus, videretque etiam ipse quæ magnus Antonius pati, et videre dignus est habitus. Quomodo igitur de hoc similiter litteris traditum non est, vidisse Dominum? Num labores suscepit, et quasi præstruxit, illum tamen videre non meruit? nihil minus: sed ipse quoque, etiamsi ejus historiam scriptor ita aperte hoc non prodidit, sic Dominum videre promeruit. Quod si accurate vis discere, vitam Arseni descriptam evolve, unde et hunc vidisse Deum cognosces. Quamobrem qui ipsos opere ac labore

imitando expresserit, revera eandem gratiam non immerito consequetur. Jam si quis horum humilitatem, patientiam imitari non vult, cur insuper id fieri posse negat?

Porro Euthymii, et Sabæ, reliquorumque deinceps sanctorum actiones majores quam pro nomine quis enarraverit? Sive enim ante acceptam Spiritus gratiam, sive post acceptam, sine molestiis, laboribus, multisque sudoribus, sine violentia, angustia, et tribulatione, nec o animæ caliginem pervasit, neque sanctissimi Spiritus lucem est contemplatus. *Regnum enim cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* ²¹, quia scilicet *per multas tribulationes oportet vos introire in regnum Dei* ²². At enim regnum cælorum Spiritus sancti participatio est. Hoc siquidem est, quod dicitur: *Regnum cælorum intra vos est* ²³, ut Spiritum sanctum intra nos recipere et habere studeamus. Parcant igitur dicere, qui assiduo sibi vim non faciunt, qui quotidie in angustiis, in rerum tenuitate, et afflictionibus non sunt, intra nos Spiritum sanctum habemus. Citra virtutis quippe exercitationem, citra sudores ac labores ista merces contingit nemini. Quare mihi illud in vulgi ore proverbium bene placet: *Ostende opera, et postula mercedem*. Novi ego hominem, qui antequam labori se dederet, ut semet acrius urgeret, cum Scripturis mente recta et simplici operam dedisset, paucosque dies, et noctes sine lassitudine, ut ita dicam, vigiasset, precesque frequentasset, a superna gratia tantopere illustratum, ut extra corpus, extra domicilium, extra totum denique mundum esse videretur. Nox erat, et divina claritate refulsit. Cæterum quia otiosus divitias acceperat, artium eas parvipendit, atque neglexit; unde simul omnes perdidit, usque adeo ut se unquam talem gloriam spectavisse ne meminere quidem. Quare quo pacto quibus neque ex parte aliqua accipere, aut conspiciere aliquando hanc gloriam suo ipsorum merito contigit, se eam universam in semet habere autument, dubitare me confiteor. Sed, o cæcitatem! o caliginem! o stultitiam et opinionem de se arrogante! ubi tandem istud, aut quibus e Scripturis didicerunt? Vere *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*, et in Ægypto, hoc est, in tenebris perturbationum ac voluptatum suarum manserunt. Nam qui terram promissionis videre concupiverunt, quam mansuetorum, humilium et pauperum oculi videre digni sunt, quamvis angustiam, tribulationem, abjectionem subeant, atque ab omni, et omnigena corporis voluptate, honore, remissione, et quiete vehementer abstinent: neque hoc tantum, sed etiam ejusvis hominis seu plebei, seu primarii congressum ac familiaritatem vitant; eos citra odium fugientes, quo digni habeantur, qui ad hanc perveniant, priusquam viæ hujus vite brevitas eorum cursum interrumpat. Humilicantes enim

²¹ Matth. xi. 12. ²² Act. xiv. 21. ²³ Luc. xvii. 21.

se, et pro improbis, quique multa offenderint, habentes, idque ex animo, imo inimicos, et transgressores divinarum legum se reputantes, sibi et exosi ac mœsti vitam ducunt, avertentes nosse quid eos ad recuperandam Christi Domini gratiam præstare opus sit. Ideo Dominus his donat, non solum ut quid agere debeant intelligant, verum etiam vires, et patientiam; ut cum universa, quæ scire illorum interest, impleverint, et qui est super omnia, et in omnibus Deum possederint, tunc quoque velut in cœlo vivant, ibique conversentur: ac sive in speluncis, sive in montibus, sive in cellis ævum degant, sive in medijs urbibus commorentur, etiam sic semper in gaudio, et hilaritate, et exultatione, quanta dici non potest, ipsi serviant.

Hic igitur nunc sanctorum labor, hæc actio est eorum, qui spiritu Dei aguntur: qualis et nostris temporibus existit pius, sanctus ac beatissimus Simeon, qui in medio illo fama tam nobilitate monasterio, quod *Studium* dicitur, instar solis effulsit. Is in medio mundi aliquando cum esset, rebus labentibus, amicis, cognatis, quinimo et curis, sollicitudinibus ac voluptatibus vitæ tam valde renuntiavit, ut earum memoriam ex animo deleteret penitus, atque a se prorsus exterminaret. Qui multos inter monachos acta vita, beatam illam vocem emisit: *Fratres, hanc perfectam a mundo successionem putate, mortificationem propriæ voluntatis. O sanctam vocem, vel potius, o sanctam animam, quæ talis fieri, et a toto mundo separari meruit!* Et idem rursus: *Debet, inquit, monachus in monasterio versari, ac si sit, et non sit, nec appareat: seu potius, qui non cognoscatur: quod hunc in modum explicabat: Ac si sit, corpore: ac si non sit, spiritu. Non apparens autem, nisi is tantum, qui per Spiritum sanctum mundo sunt corde. Non cognitus, ut illi nihil cum quoquam negotii intercedat. O divina oratio, per quam vita ejus excellentior, quam pro homine, et angelica prædicatur: per quam comparate in cœlo conversationis ipse sibi per Spiritum sanctum fert testimonium. Per quam nobis vitam cum Deo insumat, dum ait: *Nihil cum quoquam habere negotii!* quod quidem nemini recte præstare, aut vere licet dicere, nisi omnimodis ac totus toti Deo unitus fuerit. Aliter si dixerit, semet iudicatur. Qui enim dicit se non peccare, cæcus est, clausos habens oculos. Qui vero Deum habet, peccare nequit, quia semen ejus in eo manet⁸⁷, sicut maxime theologice illud apostolorum tonitru Joannes affirmat. Et quia Simeon Deum totum in se habebat, hinc et vivens dicebat, et mortuus per litteram manus suæ quasi magna voce clamat: *Deum tibi unicum acquirere, et hominum auxilio non egebis. Iterum: Deum posside, et libro tibi opus non erit.* Laboravit hic sanctus Pater noster ita, ut complures SS. Patrum antiquorum superaverit.*

A *Ærumnas autem, tentationesque tot pertulit, ut cum multis martyribus illustrioribus comparari queat. Ob id a Deo gloriam, et tranquillissimum animi statum, acceperit in se Paraclete, sanctitatem consecutus est. Sicut enim cisterna aquam defluentem, ita ipse de plenitudine Christi Domini nostri accepit, et gratia spiritus ejus repletus est, quæ est aqua viva⁸⁸, ut hic idem Joannes evangelista memorat: imo vero ipse Filius et Verbum viventis Dei, a quo et Joannes sermonis sui divitias adeptus est: *Qui bibit, ex aqua hæc (aspectabili puta) sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam⁸⁹.* Quod his verbis Evangelista interpretatur: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.**

B Et Apostolus: *Nos non hujus mundi spiritum accepimus: sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, quæ et loquimur⁹⁰.* Per hujuscemodi enim aquam vitiositas ex anima ut sordes eluitur: sine qua qui multa fecerit, nihil efficiet. Quocirca Dominus dicit: *Nolite putare, quia veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere⁹¹.* Plenitudo autem legis hæc est, ne quis se in aliquo defendat, causamque suam tueatur, nec semet ulciscatur. Hæc enim est perfecta mundi relictio, propriæ voluntatis integra mortificatio. Quidquid etiam afflictionis ei quidam intulerint, nihil omnino movetur, nec perturbatus contradicit: verum omnibus ad omnia, instar mortui se objicit, statuens vivere, moveri, et agere in illis tantum, quæ ad Deum spectant mandatis, et servare ejus præcepta; similis leoni, aut giganteo alicui Samsoni, aut si quis alius vel fortis, vel est illo fortior: *Qui habet mandata mea, inquit, et servat ea, ille est qui diligit me: et qui diligit me, diligitur a Patre meo⁹².* Et ego, et Pater per Spiritum veniemus, et mansionem apud eum faciemus⁹³.

His et similibus aiebat Dominus: *Vos non estis de hoc mundo: sed ego elegi vos de mundo⁹⁴. Venite ad me, et ego reficiam vos⁹⁵.* Qui enim aliter, in suis scilicet voluntatibus quomodocunque, aut in quibusdam opinione duntaxat bonis ambulat, vitam, quam abscissi, ac divisi a sæculo, et suæ voluntati jam mortui vident, nequaquam videbunt.

D Jam si ego humiliari ac subjeci, premi, ignominia affici, villipendi, probris conscindi nolo, et tanquam unus de obscuris, insipientibus, et abjectis, et mente emotis non sustineo fieri; sed neque ab obvijs contemni, et velut arreptitius, aut mendicus per plateas, et vicos urbis reputari, dic mihi, quanam alia ratione propriæ voluntati moriar? Si enim hæc ad probationem, et experimentum supervenientia patienter ferri Deus ab omnibus nobis mandavit: imo enimvero, si non ad probationem, et experimentum, sed ad purgationem animarum nostro-

⁸⁷ I Joan. III, 9. ⁸⁸ Joan. IV, 10. ⁸⁹ Ibid. 14. ⁹⁰ Cor. II, 12. ⁹¹ Matth. V, 17. ⁹² Joan. XIV, 21.
⁹³ Ibid. 23. ⁹⁴ Joan. XV, 19. ⁹⁵ Matth. XI, 28.

rum invecta nos ista perpeti nolimus, et voluntas ista minime tolerandi in nobis vivat, quæ est terrena carnis prudentia, qui quæso mortui evademus? nullo modo evademus. Quod si mundo, et his quæ in mundo sunt non moriamur, qui tandem, ut qui Dei causa facti, sunt mortui, vitam in Christo abscondi an vivemus?

Christum Deum imitemur: propter salutem nostram et ipsi patiamur, ut ille propter nos passus est, quem vocabant demoniosum, seductorem, voracem, potatorem vini. Sic enim dicebant: *Dæmonium habes*²⁶. Et rursus, *Ecce homo vorax, et potator vini, amicus publicanorum, et peccatorum*²⁷. Audimus item ut homicidam, et maleficum ligatum, tractum, et ut vilem homuncionem Pilato exhibitum, alapa a servo percussum, in carcerem contrusum, e carcere eductum, a fletoribus perductum, populo a Pilato traditum; cum diceret: *Accipite eum vos, et crucifigite*²⁸. Cogitemus igitur, quomodo venditus stabat in medio eorum, qui super omnes cælos est, et manu sua complectitur universa, pulsus, repulsus, pugnis, alapis percussus, irrisus, in prætorium introductus, quem nulla creata natura, nec ipsi Seraphim possunt intueri, vestibus nudatus, columnæ a ligatus, plus quadraginta plagis (quæ tenui ad mortem lata sententiâ damnatum indicabant) ceceperit. Quid deinde? purpura coccinea per ludibrium coopertum, in caput arundine verberatum, interrogatumque: *Quis est, qui te percussit*²⁹? spinis coronatum, adoratum et illusum, consputum, et cum irrisione audientem: *Ecce rex Judæorum*. Denuo sua vestimenta indutum, collum fune devincum, et ad necem eductum. Postmodum ita cruce sua oneratum, et in locum Calvariæ adductum, et eam depangi videntem, et solum ab amicis ac discipulis relictum. Iterum exutum, in sublime suspensum, manibus et pedibus per milites clavibus allixum, et pendere permissum, felle potatum, lancea vulneratum, a latrone probro lacertum, subsannatum, et audire coactum: *Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo reedificas illud, salva te ipsum, et descende de cruce*³⁰. Et rursus: *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credemus in eum*³¹. Et ita, postquam hæc omnia passus est, gratias agentem, pro intersectoribus suis orantem, et animam in manus Patris sui commendantem. Num hæc omnia, fratres mei, ad imitationem nobis non sufficiunt? Sed hæc perpeti erubescimus. Per quæ igitur alia opera, aut quo pacto illi conglorificabimur? *Quicumque enim me, inquit, et sermones meos erubuerit, erubescam et ego illum coram Patre meo, qui in cælis est*³². Itaque et Pauli vox est: *Si compatimur, et conglorificabimur*³³. Sin quæ pro nobis passus est imitari et pati, ut ille passus est, præ pudore nolumus, nec gloriæ ejus socios fore nos manifestum est: quoniam sic non

A opere, sed verbo tantum fideles sumus: operibus autem non conjunctis, fides mortua est. Si absque operibus fides mortua est, cum malis operibus ne fides quidem est. Mortuum enim, si recens est, velut modo exanimatum, dicitur mortuum. Quod si multorum jam dierum est, non mortuum, sed putidum, corruptum et foetidum vocatur. Quoniam ergo duo sunt genera operum, Deo placencia, et exosa, si fides sine operibus mortua est, ut scriptum legimus³⁴ (sine operibus videlicet Deo placentibus, fides illa, quæ non solum operibus Deo acceptis caret, sed et opera Deo invisâ habet, quo nomine afficietur? mortua? imo magis putrida et corrupta nominari debet; aut ut verius loquar incredulitas, et impietas. De qua et Isaias propheta locutus videtur: *Impius non videbit gloriam Dei*³⁵.

B Quare affirmo, et repetens iterum iterumque affirmabo, qui Christi passiones per pœnitentiam, et obedientiam non fuerint imitati, et mortis ejus participes effecti, ut supra subtiliter docuimus eos nec spiritualis ejus resurrectionis participes fieri, nec Spiritum sanctum adipisci, per quem omnium resurrectio fieri consuevit. Non illam in consummatione sæculi resurrectionem corporum, *cantet enim angelus tuba, et defuncta corpora resurgent*³⁶; sed eam quæ quotidie spiritali modo fit, mortuarum animarum spiritali regenerationem, resurrectionemque intelligo, quam, qui semel mortuus est, et resurrexit, per omnes, et in omnibus, ut decet, viventibus resurgens, et commortuas sibi voluntate ac fide animas una excitans per sanctissimum Spiritum largitur, ex hoc illis regnum cœlorum donans. Quamobrem ne mihi hæc dicenti fidem denegatote, fratres. Hoc autem scitote, si in omni genere virtutis nos exercebimus; si miracula patrabimus; si nec modicum, nec magnum mandati prætermittimus, solam vero humanam gloriam appetiverimus, eamque quoquomodo in studiis nostris spectaverimus, et ad eam capiendam festinaverimus, jam omnium aliarum mercedem perdidimus: et hominum gloriam admittentes, nec Dei potiorem judicantes, pro infidelibus, et idololatriæ condemnatur, creaturæ magis, quam Creatori servientes, sicut et ipse Dominus id talibus objicit: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis*³⁷? Qui etiam, qui obtingentem sibi terrenam gloriam cum gaudio, et voluptate complectitur, eaque se jaetat, et in medullis delectatur, ut fornicator damnabitur. Est quippe similis homini, qui virginitatem colere constituit, mulierumque consuetudine et congressu sibi interdixit, et neque ad eas ventitat, neque cum iis vivere cupit. Cum autem femina quæpiam ad eum accesserit, mox latus ac libens eam recipit, et

²⁶ Joan. vii, 20. ²⁷ Matth. xi, 19. ²⁸ Joan. xix, 6. ²⁹ Matth. xxvi, 68. ³⁰ Matth. xxvii, 40. ³¹ Ibid. 42. ³² Luc. ix, 25. ³³ Rom. liii, 17. ³⁴ Jac. ii, 20. ³⁵ Isa. xxvi, 10. ³⁶ I Cor. xv, 52. ³⁷ Joan. v, 44.

corpus cum illa commiscens, voluptatem suam A explet. Hoc porro æque in omni alia cupiditate, et in quavis motione rationi non obtemperante usuenit. Sive enim invidia, sive avaritia, sive zelo, sive contentioni, aut alii cupiam pravitati sponte quis se tradiderit, coronam justitiæ non assequetur. Nam Deus cum sit justus, consortes injustos repudiat; et cum sit purus, cum in puro non pollutur; et cum omni metu turbido vacet, cum iis qui affectibus servant, non moratur; et cum sanctus sit, in animam inquinatam et improbam non ingreditur. Malus autem atque improbus est, qui semine mali in corde suo suscepto, fructum fert diabolo spinas et tribulos, æterni ignis nutrimenta, puta invidiam, odium, injuriarum altam memoriam, zelum, contentionem, arrogantiam, B vanam gloriam, superbiam, dolum, curiositatem, calumniam, et si quis alius aversandus et execrandus affectus per corpus jucunde exercetur, et internum hominem nostrum coinquinat, secundum vocem Domini. Sed Deus meliora, fratres, ne aliquando hujusmodi zizania producamus, ex sordida suscepto in cordibus nostris mali semine. Contingat autem fructum ad tricesimum, et sexagesimum, et centesimum⁹, spiritu eundem in nobis progignente Christo fundere; ut sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, et alia pane cognitionis, et crescere virtutibus, et occurrere in virum perfectum, in mensuram ætatis C plenitudinis Christi.

ORATIO VIII.

ARGUMENTUM.

Duas esse causas, unam perditionis, alteram salutis. Superbiam hominibus simul cum avaritia accrescere. Notam, et signum commune Christiani demissionem animi, et humilitatem esse, omninoque requiri, ut unusquisque norit, se nihil esse. Duobus sacrificiis Deum placari, circa quæ salus non constat. Quo indicio quis Deo appropinquare cognoscatur.

Quæcumque in ista mortalium vita sunt, ad duo rediguntur, quorum aliud magnum bonum, aliud magnum est malum. Et illud quidem ut summum ac præstantissimum bonum in eorum homines pervenit: hoc e diverso, ut extremum malum ad inferiorum infima eos deprimit, ac demergit. Et illud veritas, hoc mendaciam est. Illud eximia voluptas, et oblectatio; hoc infinita afflictio. Illud prudentia; hoc fatuitas. Illud omnibus, et omnimodis genuinum; hoc inimicum, et peregrinum. Illud rectitudo; hoc obliquitas. Illud gaudium, et exultatio; hoc tristitia, et tumultus. Illud ordo: hoc confusio. Quænam ergo ista sunt? Quæ? Illud humilitas; hoc arrogantia. Unum enim peccatum, sui admiratio; et una justitia, suprema humiliatio. Considera igitur peccatum, quod Adamus in gloria, et deliciis paradisi sedens commisit, et

nullam necessitatem, aut infirmitatem, aut rationi consentaneam occasionem, sed solum mandati ex superbia contemptionem, contraque ipsum, qui eum e terra fluxerat improbitatem, ingratitude apostasiam (in quam diabolus ille per se ac sua sponte primus incidit) invenies. Quare unumquemque hominem scire oportet, superbiam cuique cum ætate augeri, conceptam in animo ex amentia, quam amentiam inflata de se opinio generat. Proinde ante omnia quemlibet statim a tenebris unguentis sui ipsius cognitionem doceri necessarium est: quoniam de corruptione quidem, ut saliva, salus est; augescit autem ut herba; et pluribus ex partibus staccide compositus, facile dissolvitur, ac dissipatur. Vivitque quotidiana putrefactioni obnoxius: *Et interiora ejus, juxta prophetam, etiam ante mortem efferverunt*¹⁰. Etenim qui seipsum nescit, paulatim in fastum, et arrogantiam delapsus, stultus efficitur. Quid enim tam stolidum, quam leprosus, et toto corpore vitiatum, si forte torquem auream gestet, et splendidis induatur vestibus, ipse deformis, et foeditatis plenus? Cum autem mentem amiserit, organum, et instrumentum demonis appellatur in omni vitæ consuetudine, et inimicus Deo evadit. Jam quid eo miserabilis, qui se ut inimicus a Deo separavit? Nam cui male est in corpore, morbum sentiens ad medicos properat. Qui animo ægrotat, agnitio sensu caret: et quo periculosius ægrotat, hoc minus sensit; atque ideo etiam ad medicos spirituales non vult accurrere. Cum igitur quempiam superbe se gerentem conspexeris, proportionem superbiæ ac superbientis, stuporem animæ ejus conjicito. Quisquis enim ægrotum se non sensit, a morte haud longe abest. Et hoc peccatum ad mortem, superbus morbi sui sensu destitutus. Nam qui in peccatis vitam agit, aliosque docet et commonet, morti proximus, hic medico non indiget.

Quapropter faciendum penitus, ut homo quisvis seipsum cognoscat, quod de se humiliter sentire possit: nam humilitas occulta quædam prudentia est. Ut enim omnis superbus insipiens ac stultus est, ita omnis humilis prudens et intelligens. Et quoniam fatuitas, ac cæcitas superbiæ multa et magna adjuncta est hominibus; ideo Deus, cum sit bonus, suavibus molesta, ac tristia admisit, ne elevemur. Cujus rei Pauli apostoli, qui in excellenti Deitatis gloria fuit, et admirabilia opera patravit, stimulus carnis, et colaphizans eum Satanas fidem faciet¹¹: ut proinde majores pro omni tribulatione, quam pro remissione ac indulgentia gratias agere debeamus, quo, quemadmodum in jucundis, sic etiam in tristibus gratiam promereamur. Necesse est itaque, mortalem quemvis nosse, se nihil esse, idque ab eo, qui diademate ornatus incedit, usque ad nudum, et

⁹ Matth. xiii, 8 seqq. ¹⁰ Job xxx, 27. ¹¹ I Cor. xii, 7.

mendicium. Quia Deus omnipotens nescientem se nihil esse, quamvis salvare velit, salvare tamen non potest. Etiam si quis mundum universum Deo donaverit, quod fieri nequit, nec tamen sibi persuaserit, se nihil esse, salvari nunquam poterit. *Quam ergo dabit homo commutationem pro anima sua* ¹²? non sane ipsam scire quod nihil sit: sed in eo quod seipsum nihil esse scit, fortasse agnitionem, et per agnitionem prudentem cor contritum et humiliatum, quod solum proprium est pii viri sacrificium, ab ipso purpura vestito usque ad eum, qui per plateas stipem cogit: quod solum Deus non despiciet, qui novit nihil aliud proprium suppeditare homini, quod ei sacrificet. Testis est David: *Quoniam si voluisses sacrificium, inquit, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus* ¹³. Corde contrito et humiliato hoc sacrificium continetur. Reges, dynastæ, nobiles, sapientes, rustici, divites, pauperes, mendici, latrones, avari, injuriosi, legum violatores, impudici, homicidæ, quique per omne genus scelerum iecerunt, mensuræ peccatorum remensa hujus præstantia sacrificii salvati sunt, et salvabuntur. Imo sancti quoque, et justii, et mundo corde per hoc unum sacrificium salutis fiant compotes. Eleemosynæ præterea, fides, fuga sæculi et ipsum illud magnum certamen, martyrium, sub cinere prunarum sacrificii hujus lucem dant. Et hoc est sacrificium absque peccato, quod benignum Deum vincit. Solum istud sacrificium poscunt morbi, tribulationes, angustie, delicta animæ, affectus corporis, ut quis eo Deum peccolat. Quod qui habuerit, etiam si subter omnia fuerit, tamen alicunde cadere non poterit. Nulla quippe alia de causa Deus in terras descendit, et semetipsum humiliavit usque ad mortem, nisi ut in se credentibus cor contritum et humiliatum crearet.

Sunt ergo duo sacrificia, quæ Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi suscipit, et cujuslibet, atque adeo totius mundi miseretur. Unum, ipse Dominus et noster Jesus Christus, idemque Filius Dei, ut Deus incarnatus: alterum, manus ejusque cor contritum et humiliatum. De cætero, si quis omnes facultates suas distribuerit in pauperes, et si quis jejnaverit, vigilaverit, et si quis Deum noctes atque dies precibus fatigaverit, nec in eo cor contritum, et humiliatum fuerit creatum *quoniam omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* ¹⁴, talis inanem operam sumit. Illa idcirco, et sola via querenda est per quam contritum et humiliatum creetur, et nascatur. In quo enim cor istiusmodi creabitur, super terram ut in regno cælorum ambulabit; siquidem et cum ad ultimum spiritum calendum homo venerit, aut gaudens, et exsultans invenitur,

¹² Matth. xvi, 26. ¹³ Psal. l, 18. ¹⁴ Jac. i, 17. 7 seqq.

A quod sanctificatorum commune indicium est: aut contritus et humiliatus, quod misericordiæ adeptæ argumentum habetur. Etenim fidelis omnis, si quid propter Christum fecerit, cor contritum et humiliatum vicissim recipit, divinum, et incomparabile donum, miraculorum, signorum et prodigiorum basin ac fundamentum, animarum resurrectionem in præsentem sæculo, ante generalem resurrectionem, redemptionem, propter quam dedit Deus Filium suum: *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* ¹⁵. Et ut vivens cognoscat solum verum Deum, et quem misit Jesum Christum ¹⁶. Cognitio enim divinæ pietatis, habitum humilitatis ingenerat, humilitas habitum mansuetudinis; qui duo habitus ad Deum faciunt appropinquare. Semper enim hæc duæ virtutes sibi copulatæ sunt, et religiosum erga Deum eum insigne quoddam et nota indicant proque magnitudine sua ad Deum accessisse demonstrant: perinde ut quæ humilitati et mansuetudini adversentur vitia, nempe superbia, et iracundia, quantum ab eo quispiam distet ostendunt. Ob id Dominus ac Deus noster Jesus Christus altissimus semetipsum usque ad mortem humiliavit, et mortem crucis ¹⁷, ut credentes in ipsum, et baptismo initiati, edentes ejus corpus, et bibentes ejus sanguinem (in quibus eorum incorruptio et vita) hanc quoque humilitatem habeant. Tria enim hæc immaculata, et potens Jesu Christi communio operatur, vitam, incorruptionem, humilitatem. Vita, et incorruptio propter humilitatem, humilitas ex vita et incorruptione eadem humilitas et prima, et tertia. Prima quidem, ut duarum occasio: tertia, ut quæ has comprehendit. Quare si quis christianus, non velut insitam et innatam habet, quam a Christo accepit humilitatem, nihil aliud a Christo habet, neque Christus illi proderit: etenim talis homo et Dei et summet ignorantia laborat. Nam si cognovisset se absque Christo nihil boni unquam, aut salutare elicere posse, et se humiliasset, et Christi humilitatem plane induisset, ut regalem diplomam in qua christiani reges sunt, per ipsam et animi perturbationibus, et demonibus imperantes. Pro modo enim sinceræ humilitatis, in corde, etiam D modus salutis, quia mater humilitatis, mens illuminata Christi gratia, propriam infirmitatem in divino lumine clare perspicuens; quemadmodum parens superbie, in tenebris stultitiæ mens sese contemplantis.

ORATIO IX.

ARGUMENTUM.

Quis sit ἄνομος exlex, et quis παρανομος violator legis, Quis peccator, et quis impius. Christum propter impietates, et scelera hominum esse mortuum, ut omnes salvaret. Tantum dici Christianos, venire ab ipso genere.

Exlex, violator legis, peccator, impius, peccat -

¹⁵ Joan. iii, 16. ¹⁶ Joan. xvii, 5. ¹⁷ Philipp. iii,

res sunt communiter, unusquisque autem horum quiddam peculiare habet. Exlex, qui est extra leges; violator legis, qui præter leges, quibus subicitur, facit; peccator, qui frustratione quadam non bene agit; impius, qui in Deum peccat, utpote qui aut nullum Deum, aut multos colit. Vocatur porro nomine impii in sancta Scriptura etiam peccator, et adulter, et avarus, et pecunie cupidus, et inanis gloriæ captator, et qui hujusmodi vitiis se dediderunt. Qui cum sciunt, Deum, qui fixit oculum, omnia perspicere, vitam instituunt, ac si Deus non videat. Nam si Deum, qui ubique præsens est, et intuetur omnia, venerantur, haud eum quasi non intuentem contempnent. Qui enim magis hominum gloriam diligunt, quam Dei, et qui in omni genere improbitatis voluntantur, existimantque ea fallere oculum nunquam dormitantem, qui tandem isti Deum colunt, quem et inanima creatura tremit? Inquit ergo David: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* ¹⁸. Et paulo post: *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos* ¹⁹, impietates peccata vocans, quæ eos circa mandata Dei, non circa fidem labi fecerunt. Idem rursus de adulterio cum Bethsabea, et eade Eriæ perpetrata ait: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et in remisisti impietatem cordis mei* ²⁰. Ea cor Davidis propter injustitiam impie egit: et Christianus citra metum peccans, et opprobrium Christi factus, impius est. Atque istud quidam a Deo afflatus pater explanat, dum illum sic alloquitur. Impietatem commisimus, quoniam opprobrium facti sumus dilecto tuo. Et alius divina sapientia præditus, quid prodest fide pios esse, vita impios? Ponamus enim quempiam avarum, proditorem, protervum esse, et nihilominus recte credere: quid hic capiet emolumentum, si nihil eorum, quæ Christianum decent, habuerit? si nihil egerit ex illis, quæ pietatem produnt; sed ethnicos etiam vitiis superaverit? si familiaribus nocuerit? si Deum blasphemaverit? si veneranda religionis dignata per opera dedecoraverit? Nam *ideo manifestatus est Filius Dei, secundum evangelistam Joannem Theologum, ut dissolveret opera diaboli* ²¹. Qui ergo manifestatum Dei Filium suscepit, si

adhuc vinculis operibus diaboli tenetur, quæ hic Dei Filius manifestatus dissolvit, deterior ipsis infidelibus, et atheis magis impius est. Quare cum audis, Deum esse hominem factum, qui fecit cælum et terram et mare, quæque in medio sunt omnia, et quæ oculis subjecta sunt, et quæ non sunt, et ipsum denique hominem, non ob aliam causam factum hominem intellige, nisi ut Deus per humanam naturam mori posset. Plus noli querere: sed tantummodo causam et necessitatem suscipiendæ hujus demissionis et patientiæ opta

A cognoscere. Deinde cum Joannem Baptistam dicentem audis: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi* ²², de quo ante multa sæcula vaticinans Isaias ²³, ovem et agnum qui duceretur ad victimam, appellavit, disce propter peccatum esse mortuum; ut qui hunc morte affectum, et die tertio redivivum recepissent, per eam amplius peccare non possent; nam peccantes eum non receperunt, quamvis ita sibi persuadeant. Etiam si recepissent, dedisset eis potestatem filios Dei fieri, qui peccare nequeunt: quando scriptum est: *Omnis qui peccat, non vidit, nec cognovit eum* ²⁴. Et: *Qui facit iniquitatem, ex diabolo est* ²⁵. Et: *In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli* ²⁶. Et: *Omnis qui non facit justitiam, non est ex Deo* ²⁷. Quod si is, qui non facit justitiam, non est ex Deo, qui facit injustitiam, undenam est? *In hoc, inquit, manifestatus est Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli* ²⁸, quibus non dissolutis, nulla est speranda utilitas. Multi itaque de genere Christianorum prodesse sibi arbitrantur, Christianos dici; ne scientes id paternum ac maternum esse, et cum patria ac regione ipsorum tota commune: qui si vitam ex Christi legibus instituerint, tum simul et Christiani nominabuntur, et in Christum credere dicentur; alioqui præstabat nec credere in Christum, quinimo nec natos fuisse. Non enim poterant in Christum non credere: atrocius autem quam infideles punientur. Ast alienigenæ, qui ut Christiani cognoscerentur, a majoribus non acceperunt, si in Christum crediderint, magna inde commoda sibi parant: cum ille de genere Christiano, per legis Christi prævaricationem Christum inhonorent, et avitam ac veram pietatem commaculent.

ORATIO X.

ARGUMENTUM.

Non Deum, sed demones potius humanæ servitutis auctores esse. De ira et cupiditate, in quibus non est ratio. Et unde ab his animus afficiatur. Sicut aspectus corporis illuso sentiendi organo, item motu, intervallo præ rata portione, aere puro, scilicet luce indiget: ita etiam aspectum animi his modo quodam, qui intelligentia percipitur, egere.

In presenti sæculo, id est, in hac vita, pater est, et filius: servus, et mercenarius procreatus non est; neque enim primus parens, neque primus ejus filius servi, aut mercenarii fuerunt. Cui enim pro servis ac mercenariis subdi poterant? Servitus et opera mercenaria posteriora sunt: servitus quidem ex eorum, qui essent genere consortes improbitate mutua: opera vero quaestuarium ex indigentia, propter eos qui cum essent de eodem genere cum aliis, plus habere avide cupiebant. En, et servus, et mercenarius ex subsecuto hominum vitio exstiterunt: qui ut existerent, sola indigentiae necessitas in causa fuit. Et quemadmodum servus ac mercenarius non agunt quodlibet, sed quæ ip-

¹⁸ Psal. v, 7. ¹⁹ Ibid. 11. ²⁰ Psal. xxxi, 5. ²¹ I Joan. iii, 8. ²² Joan. i, 29. ²³ Isa. liii, 1
seqq. ²⁴ I Joan. iii, 6. ²⁵ Ibid. 8. ²⁶ Ibid. 10. ²⁷ Ibid. ²⁸ Ibid. 8.

sorum donans et, heris placeat : similiter diabolus (intelligens illa, et maligna potestas) qui a Deo descendit, qui nequitiam humanam fabricatus est, et ejus amorem mortalibus persuasit, eos in servitutem suam trahit : cui (quod animo et cogitatione videmus) in voluptatibus, rapinis, avaritia et omnibus secleribus servilem in modum parent. Et tales cum sint, eos, impudentes, et superbiores, et stultos reddit ; ut neque se ipsi vindicare possint, neque aliunde vindicari in libertatem velint. Omnes igitur hujusmodi, sive ethnici, et Deum ignorantes, sive infideles, sive fideles Christiani et orthodoxi, diabolo servientes, ad ejus partes, qui ipsorum dominatur, pertinent, atque a Deo projecti, in domo ejus in aeternum manere non possunt ¹⁷. Unde magna illis vi opus est, ut e manibus ejus, qui servitutem ipsis imposuit, eruantur. Alia autem nec inventa est, nec inveniri potuit, nec est, nisi Christus Dei virtus. Si ergo is liberaverit, ita demum liber erit, qui liberatus est ab eo ¹⁸. Erit enim castus, sobrius, bonus, justus, religiosus, humanus, pius, misericors, patiens, humilis, mansuetus, alienis malis dolens, continens, hoc est, vere homo. Qui his carent, aut peccodes, aut demones sunt, etiamsi Christiani et orthodoxi fuerint, et hi maxime in examen severius adducuntur, nec ipsorum vindex, et assertor Christus quidquam illis proderit, quia nimirum noluerunt ejus solius redemptionem, hanc solam libertatem, omni virtute humana majorem, propter quam cum Deus esset, homo nasci dignatus est, et ejus solius causa necem ultro perdidit. Nam quod quidam existimant, in humana natura perturbationes, ut iram, et cupiditatem ingenitas esse, non ita est profecto. Verum ira, et cupiditas ut a Deo naturæ nostræ sunt insitæ, non perturbationes, sed bona sunt, et eos homo intelligentis naturæ suæ quodammodo characteres a summo illo bono accepit : quæ quanquam brutis quoque animalibus insunt, at non isto modo : siquidem et caro illa quidem est, tamen eadem caro feris ac pecudibus minime est.

Sunt sane inditæ homini ira, et cupiditas, sed etiam mens, quæ quandiu sanitatem suam retinuit, hæc intra naturæ suæ terminos ac limites manserunt ; cupiditas ad ea quæ intelliguntur Dei bona respiciens, et incitata ira, ipsam cupiditatem ad illa generosius captanda, et ad ascendendum, Deoque magis ac magis appropinquandum extimulans. At postquam mens debilitata, et qua custodiebatur sanitate spoliata est, ad inferiora sola, ut vitata deflexit, atque ideoque quæ illius haud intersunt, insipienter concupiscit, et sine ratione tanquam feræ, ac bestię irascitur. Christianus igitur ex Christi consortio recuperata sanitate, rursum illa duntaxat, quorum gratia ira, et cupiditas naturæ inditæ sunt, concupiscit. Qui secus facit, nondum est Christianus. Non itaque ira et

A cupiditas perturbationes sunt, sed privatio sanitatis animi, propter quam ira experta sit ratio, et cupiditas amens, illa, inquam, imaginem perturbationum illis imponit. Anima enim unum est : idque simplex, nec partitionem admittens, ut intellectuale quiddam scilicet, nec est aliqua compositio, seu coagmentatio, ob quam pati cogatur sicut corpus ex quatuor elementis concretum, necessario ab aliquo horum afficitur, si vel abundet, vel deficiat. Omne enim quod afficitur, ab aliquo afficitur necesse est. Quoniam ergo nihil habet anima, a quo patitur, constatque ipsam simplicem, incompositam, divisionis exsortem, intelligentem, a cupiditatibus, et ira ratione vacantibus pati, unde nam ipsi istud pati, cum omne quod patitur, ab alio patitur ? Invenitur igitur alia intelligens natura demonum, in ipsam, quod intelligere possumus, irruens, et in motionibus ejus naturalibus quibus semper cietur, negotium ac molestiam ei faciens ac tenebris quibusdam offusis, illam probe cernere non sinens, desiderantem recta, vera, quæque meram imaginationem et umbram atque errorem non habent. Etenim naturales humanæ naturæ habitus, a lapsu primi hominis de linea deflexerunt, mens, cogitatio, opinio, facultas imaginatrix, sensus, et in quibus anima tripartita perspicitur, nempe pars illa, in qua inest ratio et consilium ; et altera, in qua iracundia ; et postrema, in qua cupiditates, libidinesque versantur. Atque ideo ratio cinari quidem homo potest : sed ad recte ratio cinandum imbecillus est. Concupiscere quidem potest, sed stulte. Irasci quidem potest, sed temere irascitur : ideoque sensa, commentationes, opiniones, imaginationes, sensationes pertinacia, distorta, instabilia et lubrica sunt. Quam obrem sancta, intaminata et omnipotens natoria Jesu Dei hosce secundum naturam habitus corrigit, confirmat, et corroborat, et ob hanc causam lex et regulæ divinitus datæ sunt, ut intelligentiæ particeps, semperque mobilis anima in motionibus suis legitimis, divinisque canonibus temperetur : quo in illis jugiter ambulans, cernat quæ recta sunt, eamque decent : et in hac contemplatione exercitata, vexatorem a se fugere compellat, et cum in omni veritatis comprehensione perfectior evaserit, in veris tantummodo studio atque operam suam collocet : quo sic ipsum illum legislatorem ad requiescendum super se attrahat, impleaturque in ipsa, quod dictum est a Domino : *Qui diligit me, sermones meos servabit, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Et ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* ¹⁹.

Hoc animæ mysterium omnis sæculi hujus sapientia ignoravit : quæ sapientia ob id etiam pastus rationis experta dicitur : nam hoc solum animæ arcanum pastus cum ratione conjunctus est. Unum-

¹⁷ Joa. viii, 35. ¹⁸ Ibid. 36. ¹⁹ Joa. xiv, 23.

quemque enim Deum, seipsum, et daemones nosse oportet. Illum, ut Dominum, quique solus salvare possit. Semet, ut imbellem adversus hostem, quem animo videmus. Daemones, ut hostes inaspectabiles, qui, quod admirabile est, perpetuo nos per nos ipsos oppugnant. Ut enim exterior aspectus præter solis lucem ad perspicue evidenterque dignoscendum res quatuor requirit, illasum oculum, commensam motionem, commensam distantiam, purum aerem: sic sane et interior aspectus eget mente perfecta, motione commensa contemplationis, quam Dei timor ceu freno moderetur, et quadam intelligibili aeris puritate, illuminati vero lumine, quod omnem hominem in mundum virtutum venientem illuminat. Etsi vero hoc lumen abscondi impossibile est, quod nullo sepimento, aut nube intercipitur, aut prohibetur, tamen haud ab infidelibus animabus, sed ab iis solum, quæ in Christum crediderunt, videtur. Fideles porro animæ in veritate sunt, quæ post regenerationem divini et sacri baptismatis in nullo penitus magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi mandatum transgrediuntur: sed cum sancto Davide optant dicere: *Ad omnia mandata tua dirigebar. Omnem viam iniquitatis odio habui, quoniam omnia mandata tua justitia* ³⁰. *Omnis enim qui facit justitiam, scribit dilectus ille Joannes, ex Deo natus est: qui autem facit peccatum, ex diabolo est* ³¹. Fidelem itaque et infidelem mandata distinguunt. Nam ut in quolibet Christi mandato exsequendo fides et confessio Christi exercetur: sic in unaquaque ejus mandati violatione infidelitas et negatio invenitur. Credentibus igitur in Christum animabus, et ejus jussa legesque custodire stantibus, pro mensura fidei et obedientiæ, quam Christo præstant, etiam illis ut videant largitur; quod quidem videre, est notitia eorum quæ proprie bona sunt et quæ non sunt, quæque in malis habenda, et quæ non habenda, ne exitium pro salute, neve salutem pro exitio intueamur: sed veluti cum aurum projectum videmus, ad id colligendum accurramus: et præcipitium conspicientes, non inde nos præcipitamus: sic cernentes Dei voluntatem, prompto ad illam ferimur; et videntes peccatum, cavemus ne in id præcipites abeamus confringanturque ossa nostra, et neque ad temperantiam, neque ad justitiam stare possimus: verum non secus, quam qui in lecto decumbant paralytici, jacere velimus in immunditiis, et avaritia, et gaudeamus potius instar delictorum, quorundam, nulla idcirco molestia doloreque affecti. Ut enim oculis subjecta creatura omnis continenter lumine, quod sentitur, indiget, ut videatur: pari modo quælibet sub intelligentiam veniens natura, semper intellectuali quodam lumine opus habet, ut mente comprehendatur.

Duo quippe sunt lumina, unum hic sol, qui sensum movet, et visu percipitur, quique oculis

A dat, ut corporatam creaturam aspiciant: alterum quod intellectile lumen dicitur, Christus Deus, qui aspectibus intelligibilibus donat, ut creaturam incorpoream intelligibiliter contueantur. Nisi exortus fuerit sol, quem sensus attingit, loca plana, et directa, vias puras, et sordè vacantes nemo videt: ita nisi sol quem mente cognoscimus, sese extulerit, vitiorum præcipitia, et directum justitiæ callem, divinorumque mandatorum pulchritudinem nullus perspicit. Si ergo Christianus reperitur, qui per viam improbitatis totam, aut ex parte ingrediatur, necdum est Christianus. Nam Christianus ab ipsa arcana Dei cognitione, qua per sacrum baptismum imbuatur, divino impletur lumine, et illuminatus est, ac dicitur. Atqui omnis qui in lumine ambulat, foveas et offendicula videt. Si non videt, nec lumen habet. Quomodo ergo Christianus est? Si autem se videre affirmat, et nihilominus deliciarum illecebris capitur, mendacium dicit. Videt enim quemadmodum qui lumine caret, id est, infideles: et illi quippe bona et mala internoscunt quidem, verumtamen a malo non declinant: propterea quod non pure ac liquido vident, quid proprie bonum aut malum sit. At Christianus quandiu non perspicue, ac limpide malum cernit, nondum fuit Christianus. Certabit vero certamen in gemitibus, et lacrymis et jejuniis, ut sibi verum perfectumque lumen illucescat, quod omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat ³², et habitus animæ naturales emendet, atque illustret, firmosque ac validos reddat, quo voluntatem Dei bonam, beneplacentem, et perfectam videat, et eandem cupide ardentemque complectatur. Qui enim vim cælestem a sancta baptismatis natatoria non senserunt, quæ vis regeneratio et renovatio, et, ut vere est, reformatio totius hominis vocatur, iis post hæc et institutione et impositione venerandarum manuum a sanctis illuminatisque opus est. Nisi enim cuique Christiano habitus a natura ingenerati antea correcti, transmutati, et a turpitudine eos obscurante perpurgati, solideque stabiliti fuerint, perdifficile, imo impossibile est omnino cuivis animæ, divinis voluntatibus obsequi. Nam prius quod debile et ægrotum est sanato confirmatoque, ita demum ad ministerium accedere fas est, quod omni cui ministratur conducit. Quod enim adhuc morbidum est, cuilibet hero inutile est. Ex hac ignorantia plurimi ascetæ imbecilles et invalidi, frustra laborant, et dormiunt multi ³³, quos proinde æternum illud incendium cremabit.

ORATIO XI.

ARGUMENTUM.

Qui de præteritis peccatis delet, eum nequidquam dolere, nisi medicinam quoque infirmitatis suæ, per quam peccat, a Christo flagitatum accipiat. Quæcunque homines in hac vita agunt, si ad

³⁰ Psal. cxviii, 128, 172. ³¹ I Joan. iii, 7, 8. ³² Joan. i, 9. ³³ I Cor. ii, 50.

animum sanitatem ea non conducant, inania esse, id, quæ morbos spirituales curare oportere. Quomodo sponte, et præter voluntatem peccetur.

In lacrymis, et mærore versari, et precari a Deo misericordiam ob delicta sua, præcedentibusque offensionibus et erratis veniam poscere, bonum ac laudabile est: sed istud nihil cuiquam commodabit, nisi Christus imbecillitatibus ejus medicinam fecerit: quibus ascribi debet, quod etiam peccare nequeat. Quocirca ponitens quibusque contendet, ut a Christo vires, ad affectiones turbidas penitus penitusque profligandas impetret, quo jam sanctificatus, ad exsequendam Dei voluntatem, et Christi jussa facessenda aptus, et idoneus fiat. Etenim ante sanctificationem, id est, ante adeptam perturbationum vacuitatem, qui aliquando ex insita infirmitate se culpa contaminat; aliquando semel ad Christi præcepta servanda cogit, quem tandem fructum colligit? Certe ædificanti, et rursus ædificata destruenti similis est. Itaque naturæ imbecillitatem a Christo sanari necesse est, qui solus advenit medicus ad tollendas infirmitates nostras, e quibus est illa, unde in peccata prolabi consuevimus. Ille est enim Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quæ est corruptæ naturæ nostræ infirmitas. Post Adamum quippe propter inobedientiæ scelus e paradiso ejectam, homo quilibet æger, debilis, infirmus est redditus. Infirmitates porro hæc admirabiles sunt, inter naturam et voluntatem intercedentes: ut nonnunquam ad naturam, nonnunquam ad arbitrium et voluntatem referendæ videantur. Sunt autem istæ. Homo quivis plus minus alio infirmus est ad sinceram charitatem. Infirmus ad non invidendum. Infirmus ad non conviciandum. Infirmus ad non reprehendendum. Infirmus ad non irridendum. Infirmus ad non mentendum. Infirmus ad non irascendum. Infirmus ad non concupiscendum jucunda quæ videt. Infirmus ad temperantiam. Infirmus ad vitandam vanam gloriam. Infirmus ad fugiendam avaritiam. Infirmus ut nolit aliis, et equalibus aut sapientior, aut prudentior, aut robustior, aut celebrior, aut honore dignior esse. Infirmus ad commiserationem, ad misericordiam, ad communicationem, ad gratias Deo assidue agendas, ad abstinentiam ab omni voblo, ad consecrandam omnem bonum: ut quemadmodum, supra dictum est, nunc quidem per viam liberæ voluntatis, nunc per naturæ tyrannidem infirmus atque imbecillus appareat.

Quod eam ita sit, hæc infirmitates et languores istos curari oportet; quærere autem medicum a quo curentur, magis oportet. Ideo nobis Christianis præter supplicem majores præscripserunt, ut dicamus semper Deo, in contritione cordis: *Visita, et sana infirmitates nostras propter nomen*

tuum, hoc est, gratis, ut habens nomen gloriosum, ut misericors, et benefactor, et solus medicus. Quisquis igitur curationem est consecutus, evasit etiam Christianus: nec in seipso gloriatur, sed in medico, cui dies noctesque gratias agit, et ex animo se humiliat. Nisi enim sanatus invenitur, nondum sanatus est, ab ignorantia videlicet, sive incogitantia, ut qui nesciat, quid Deo dicat, et quas infirmitates sanari desideret. Quod si non curatus, purgatusque moriatur, gehennæ flammis in omne ævum ardens purgabitur. Est vero perquam miserabile spectaculum, cum homines Christiani die nocteque clamant: *Visita, et sana infirmitates nostras, Domine*; et Dominus his mederi non potest, cum, quæ sint ipsorum infirmitates (quæ tantæ, tam multæ, tam variæ sunt) nesciant. Hæc causa est, cur Christiani precant, de mendicis et pauperibus, de civibus et militibus, de monachis, clericis, diaconis, sacerdotibus, episcopis, principibus et regibus. Horum infirmitates communiter se simul uno quodam medicamento, divinæ naturæ communionem scilicet curantur. Nisi enim unusquisque Christianus secundum captum propriæ fidei divinæ naturæ consors fuerit²⁶, seu pervigilet, seu lumen cubet, seu dies noctesque psallat, et jejundet, et preces frequentet, si incuratus manserit, extra partem Christi, sicut et infideles, manet. Quoniam omnis homo, sapiens insipiens, intelligens obtusus, prudens imprudens, eruditus indoctus, urbanus rusticus, dives mendicus, cui quod adest sufficit, et qui labore victum tolerat, quæcumque in hac vita cum labore, lassitudine et ære effecerit, nisi huc solum ea conferat, ut ejus anima infirmitatibus soluta, et iacobum sit, vana et supervacua sunt omnia, faciuntque, ut extra regnum cælorum, quod tantummodo illasas, ac sospites animas admittit, relinquatur. Cæterum omnis anima, quæ prædictis morbis tenetur implicata, et rerum cum corpore conjunctarum cupiditatibus, et terrenorum mundanorumque appetitionibus, et gloriæ desideriis, nec a semetipsa, nec ab hominibus curari sanarique unquam potest: sed a solo Domino, ac Deo nostro Jesu Christo, de quo scriptum exstat, *Quia ipse peccata nostra tulit, infirmitates nostras in se portavit*²⁷. Si namque anime hominum, non atheorum et ethnicorum modo, sed etiam ipsorum Hebræorum credentium, facile mundanas cupiditates, et carnales appetitus odisse potuissent, et ita mundi principem diabolum, qui per illa imperium mortis habet²⁸, effugere, bonus, misericors et benignus Deus homo fieri, contumeliis et tormentis affici, ac per mortem in inferiores partes terræ descendere²⁹ omnino nihil necesse habuisset. Nam odisse mundum, et ea quæ in mundo sunt, quæque ad carnem spectant, sola divinæ virtutis Jesu participatione contingit.

²⁶ II Petr. I, 4. ²⁷ Isa. LIII, 4. ²⁸ Hebr. II, 14. ²⁹ Eccli. XXIV, 45.

Ergo quicumque in Christum credunt, nisi ante A virtutis ejus auxilio mundana, et carnalia medullitus oderint nunquam, ulli mandatorum ejusdem gerere morem poterunt, sicut legimus: *Declina a malo, et fac bonum* ²⁸. Ex quibus sequitur, credentem in Christum ante omnia Christi virtutem, gratiam, et misericordiam flagitare debere, ut mundum, et mundana carnalesque concupiscentias detestetur, et in id operam dare cum fide, ut ea detestatus, etiam eorum mortificationem consequatur, quæ solius Dei est, juxta Apostolum: *Ego enim, inquit, mortificationem Jesu in corpore meo porto* ²⁹. Hæ sunt Deo gratæ petitiones, de quibus Jannes Theologus: *Quodcumque petierimus secundum voluntatem Dei, faciet nobis* ³⁰. Ista enim sola homines ab se rogare vult Deus: quæ nimirum ad æternam eorum salutem accommodata sunt. Quamdiu igitur cuique vita suppeditat, ne alia in re præter hanc studium, occupationemque suam consumat: in hac omnibus diebus vitæ suæ elaboret, ut anima ejus supremo illo die, quando effundet extremum habitum, bene valens, omnique carnis ac mundi affectu expedita ac libera inveniat, necessarium est itaque eam sanam esse, ac potentem, ut pro sana Christo inserviat, sanctorumque ac divinorum ejus præceptorum operatrix sit: ut cum ad illius tribunal steterit, nec erubescat. Id si factum non fuerit, at saltem sospitem eam inveniri necesse est, ne morbos ejus gehennæ ignis corruptos, camino suo, qui C nunquam exstinguitur, cohibeat, et sine ullo fine exurat. Sententia siquidem gehennæ natura sua eos tantum potest attingere, quorum animæ ad futurum illud sæculum sanitatis expertes abierunt. Nam peccatum ex voluntario, et non voluntario proficiscitur, ex utroque, inquam. Videtur itaque peccatum quasi esca quædam, ad quam cum mens modo quodam intelligibili se inclinavit, animarum tyrannus, quem animo, non oculis cernimus, ipsam a tergo incitat, ut se illa esca farciat, quo peccatum ex voluntario per involuntarium consummatum inveniat. Quapropter sapientia Dei Christus principia peccatorum elidit, ut neque cupiamus, neque infœamur. Etenim cum in cupiditate, et aspectu peccati anima fuerit, difficile se potest D avertere, quod e vestigio demones, citius lectu oculi eam impellant. Ac necessario omnis anima accessum ad hæc fugere debet. Fuga autem non alia est, nisi ut non concupiscas.

ORATIO XII.

ARGUMENTUM.

Si quid boni acitit homo, id totum propter se acitare. Unde cognoscatur, jejunium, eleemosynam, orationem placere Deo. Quomodo psallendum. Sanctificationem, et libertatem per fidem acquiri. Psalmodium proprie humilitatem esse. Quæ res gratiam exstinguant.

Quoties audieris sanctos Patres nobis dicentes,

propter Deum jejunemus, aut eleemosynas impertiamus, aut aliud quippiam honorum operum præstemus, existima eos ad nostram sese inbecillitatem accommodantes ita loqui: Deus enim qui nulla re eget, nullius horum indiget. Omnia autem, quæ in vitæ hujus curriculo cum virtute egerimus, ad nostram utilitatem redundant Dei, qui nulla re opus habet, nihil intersunt. Nam qui jejunat, et qui sese afflicta, et qui eleemosynas dispartit, ut miserationem et misericordiam Dei consequatur, hæc faciet, et hic Dei benigni cultus atque obsequium est. Nam si in loco vitæ hujus caliginosæ, ac plenæ offendiculis non libenter angustiāmur, nec naturæ nostræ socios misereamur Deus vicissim misericordia et commiseratione nos haud dignatur. Qui enim homo hominis non miseretur, nec justus Deus miseretur. Qui autem libere peccat, nec dolorem ob id concipit, ejus vicem misericors iudex minime dolebit. Nemo itaque cum quidpiam ex virtute facit, propter Deum, sed propter suam ipsius salutem se id facere arbitretur. Hoc siquidem sciens, et sentiens, et non poterit quidpiam boni perpetrare ut ab hominibus, sed tantum ut ab oculis nunquam dormientibus occulta cognoscentis Dei videatur. Nam Christianus, potissimumque qui in disciplina justitiæ procedit, nisi crediderit, planeque persuasum habuerit, quemadmodum noster hic sol, nullo pacto hominis alicujus eget (propterea quod servitute, aut ministerio quopiam humano neutiquam opus habet, cum ipso potius omnibus mortalibus serviat, exoricens, totumque terrarum orbem radiis suis illustrans, fructus omnes calore fovens, ad maturitatemque perducens, et ad coagmentationem corporum humanorum, universorumque e terra nascentium plurimum adjumenti afferens) nec potest, aut poterit quisquam dicere se servisse, aut servire soli: sic neque Deum alicujus operam requirere, aut ut ei a quoquam ministretur, opus habere. Qui ita non sentit, primum gradum principii salutariæ viæ haud potest unquam contingere: sed quamvis jejunando, vigilando, laborando, psallendo eleemosynas ac justitias faciendo et docendo, et commonefaciendo alios se Deo servire existimet, cum etiam tamen partem habere nequibit. Nam qui hæc agit, ideo ager, ut misericordiam apud Deum inveniat: *Quia omnes egent gloria Dei, et justificantur gratis per gratiam ipsius* ³¹, quærentes, et pulsantes, et petentes, ut misericordiam consequantur, et janua misericordie ipsis aperiatur, et apud Dominum misericordiam inveniant. Qui non quærent non pulsant, non petunt, sententia et lege Christi regis omnipotentis immutabili statutum est, ut nec inveniant, nec illis ostium misericordie recludatur: *Qui habet aures audiendi audiat* ³².

Qui igitur jejniis, precationibus, eleemosynis dat operam (per quæ tria Christiani omnes ab

²⁸ II Cor. iv, 10. ²⁹ Psal. xxxvi, 27. ³⁰ I Joan. v, 14. ³¹ Rom. iii, 25. ³² Matth. vi, 13.

exsilio ad salutem revocantur, ac restituuntur) **A** tus est, sanctificatoris sui obliviscitur; quâ nempe dies jejunii numeret, ne ad eleemosynæ modum, nec ad laborem vigiliarum atque precum respiciat, quam multum jejunaverit, quam benignus in pauperes, quam multus in precibus fuerit: sed an Dominus attenderit. Si attendit, missa est ipsi gratia de cœlo, quam si suscepit, se contritum et humiliatum, pœnitentem et compunctum, et per hunc statum infirmitatem suam, peccata sua ut deformia, ut turpia, ut belluina, ut anima rationis particeps indigna, et ab homine mente prædito remota cernentem inveniet. Talis enim contingit animæ prima a Deo illuminatio. Proinde hæc visa ut odio digna odit, et exsecratur. Si se ita constitutum non cognoverit, et jejunia, et eleemosynas, et orationes perdidit. Unum quippe Deo sacrificium, a quovis homine, spiritus contribulatus ⁴²: ac propter tale sacrificium, peccata remittuntur; quemadmodum propter ipsum hoc sacrificium et jejunium, et eleemosyna, et oratio instituitur. Hoc enim est mysterium Christiani, et ita agere par est. Nam jejunia, vigiliæ, humili strata cubilia, eleemosynæ, preces, psalmodiæ, voluntaria mendicitas, et quæ homo fecerit omnia, ad Deum sibi placandum facit. Quod si ille secum in gratiam non redierit, quod tandem in his emolumentum? Anima enim Deo reconciliato humilis, et mansueta sit, Deoque astans, ut Deo astat, nec se huc et illuc versat. Itaque si talis nondum est, Deum nondum amicum habet: sed **C** sive psallat, sive oret, adhuc sub potestate maligni est, et reconciliationem istam ante psalmos et orationes petere oportet; alioqui spes salutis nulla superest. Errant, qui antequam se Deo reconcilient, canunt, ac psallunt, et voces in aerem frustra jactant, Deumque ad iram provocant. Avertit enim ab ipsis faciem suam. Et ore quidem psallentes, mente et cogitatione in rebus diabolicis versantur. Non igitur sola jejunia, preces, et eleemosynæ sanctitatem libertatemque pariunt: sed ante hæc fides, et cognitio ejus, qui liberare potest, divinatorum mysteriorum, nempe immaculati corporis, et sanguinis Domini Jesu, ac Dei omnipotentis communicatio: *Qui dicit his qui vincit sunt, exite: et his qui in tenebris, revelamini* ⁴³, cum is **D** qui communicat, anima et corpore illi conjungitur ac miscetur, inque divinam naturam commutatur. Alia via fidelem salvare, et remissionem peccatorum accipere, cœlestique regnum obtinere impossibile est, nisi cum timore et tremore mysteriorum corporis, et sanguinis Christi particeps fiat. Deus autem quomodo queat esse servus, aut impurus, aut cum facultate aliqua peccandi? In his enim relinquere, sanctimoniam amissio est: amissio autem ex arrogantia; arrogantia ex oblivione; oblivio ex contemptu; cum, qui semel sanctifica-

tus est, sanctificatoris sui obliviscitur; quâ nempe ipsum sanctificavit sanctificationemque in ipso contineat, et per gratiarum actionem continuam, humilemque spiritum custodiat. Qui enim a quopiam e profundo maris extractus, ac veluti a mortuis excitatus est, qualem, et quantum humilitatis sensum habebit? *In humilitate enim nostra memor fuit nostri Dominus* ⁴⁴; proprie enim demissio animi psalmodia, et omnia quæ facimus, huc spectant.

Quid porro est demittere animum, seu scire de se submisso ac humiliter? Humanam imbecillitatem cognoscere, quæ cognitio, est a Deo credentibus in ipsum cœlitus demissa illuminatio: alioqui homo quilibet seipsum noscere nequit. Quare superbus nihil cernit, sed cæcus est, ut aiunt Patres. Qui baptismo tinctus non est, nec illuminatus est. Ut autem absque lumine oculis videre non potest: sic anima a Christo mystice non illuminata, suam ipsius imbecillitatem conspiciere nequit. Sed ad hanc illuminationem quænam pertinent? Infidelibus quidem fides in Christum, et divinum baptismum, ut diximus: ast iis, qui post baptismum cæcitant, atque ideo superbiunt, et in leges committunt (*Superbi enim, inquit, agebant usquequaque* ⁴⁵, *Et: Dominus superbis resistit* ⁴⁶, *Et, Principium omnis peccati superbia* ⁴⁷, *Et: Principium peccati, nescire Dominum* ⁴⁸), talibus, inquam, ante alia mysteriorum Christianæ fidei institutio, ut eum crediderint, illuminentur. Si enim primam fidem tenuissent, non utique cæcivissent. Et postquam instituti fuerint, crediderintque, videbunt omnino, totoque affectu pœnitebunt, metuentes judicium Dei, et aspicientes quæ aut turpia, aut perversa designarint sibi que persuadentes, mille supplicia se commeruisse. Turpia, ut voluptates ac libidines; perversa, ut avaritiam, injustitiam, dolum. Et quoniam omnis pœnitens humiliatur, huic Deus, tanquam humili, dat gratiam, ut et voluptates, et pravitates oderit, semperque imbecillitatem suam agnoscat, quo eorum vicem doleat, qui similiter vitiosis affectionibus laborant, et animum aliena incommoda sentientem gerat, offendentesque non condemnet, et sit mitis ac patiens, inveniatque animæ suæ requiem, et sic *Cantet Domino canticum novum, carmen Deo nostro* ⁴⁹, quæ est ex puro et contrito corde gratiarum actio. Cor enim contritum et humiliatum, est purum cor: quod si desit, omnis alia psalmodia nihil valet. Nam qui Deo hoc modo non psallit, non potest psallere, etsi multum sudarit: sed lingua loquitur, animo autem illa volutat, quæ Deum irritant, ejusque iram contra ipsum accendant. Quapropter, quomodo quævis creatura aspectabilis semper lucem postulat, ut videatur, ita omnis quæ intellectui patet creatura, semper lucem sub sensum non cadentem requirit,

⁴² Psal. l, 19. ⁴³ Isa. xlix, 9. ⁴⁴ Psal. cxxv, 25. ⁴⁵ Psal. cxviii, 51. ⁴⁶ Jac. iv, 6. ⁴⁷ Eccli. x, 15. ⁴⁸ Ibid. 14. ⁴⁹ Psal. xxxix, 4.

ut comprehendatur. Et sicut quis de multis præclaris facinoribus, et actionibus suis dicere non potest, noctu, et sine lumine feci : sic neque qui vitam Deo placentem egerit, dicere quibit, sine lumine, quod in intelligentiam cadit, feci. Si ausus fuerit, mendax est, et filius diaboli : nec seipsum aliquando est contemplatus, nec viam Dei ambulavit omnino. Unde scriptum est : *Qui gloriatur, in Domino gloriatur* ⁵¹.

Cæterum attendas oportet, o illuminate a Christo desuper, ne forte inde veniens te lateat illuminatio, cum sit occulta, tibi que eam ut propriam, et ex te ortam ascribas. Ideoque ab oculis tuis ablata, rursus te in tenebris deserat. Deus enim qui sub aspectum non venit, lumine quodam haud aspectabili illuminat : et ea illuminatio (quomodo item Deus) inaspectabilis, ex effectis suis perspicitur. Si te humilem et contritum experiere, quam humilis, tam illuminatus es. Proficit enim anima, si in humilitate proficit; cognitioque humilitatis et mansuetudinis, sui ipsius, et Dei cognitio est, ut divinæ sapientiæ antistites affirmarunt. Animæ que Dei visitationem, sive divinam illuminationem, ac serenitatem adepta est, pacata est, et nullis turbis agitur. Hujusmodi illustrationem extinguunt inhumanitas, judicare fratrem, tenax injuriarum memoria. Qui enim ex misericordia et humanitate Dei servatus est, per misericordiam et humanitatem salutem sibi custodiet, secundum divinam et regiam vocem ita sonantem : *In quo judicio judicabitis, vicissim judicabimini : et qua mensura metiemini, remetietur vobis* ⁵². Idcirco præcedat misericordia, et sequatur misericordia. Nam qui a gravi et incurabili animæ morbo per solam Dei visitationem liberatus, et sospitati restitutus est gaudebit, et exultabit; et qui ipsius misertus, sanitatem ei donavit, Deo nimirum, tota anima, et tota mente gratias ageat, eritque mansuetus ac lenis, Dei erga se misericordiam, benignitatem, pietatem admirans: ac totus in benignitatem, et viscera pietatis effusus, similibus obnoxios miserabitur, adversus neminem tollens supercilium, sed omnibus se hilariter subjiciens. Sic sane peccator omnis, cum per Christum a turbulentis motibus expeditus fuerit, gaudebit et exultabit in salutari ejus. Si autem post sanitatem efferatur, prope est tyrannus diabolus, et apud eos instrumenta motuum rationi non obedientium. Gratia Christi se subducet, et dæmon propior factus, mente concussa, per corpus deteriora prioribus efficiet.

ORATIO XIII.

ARGUMENTUM.

Quinque magnæ artes diaboli. Quidquid boni propter Deum agit homo id agere vel quia petit, vel quia gratias agit. Quomodo voluntas veri cupientis salvari, salutem velle debeat. Quorum rex sit, quorum non sit, is qui est Dominus, et rex omnium.

Quia diabolus est spiritus intelligentiæ compos,

A et in naturam nostram depravatam libertatem nactus, secundum quam in eam agit, cum qui ab ipso sine intermissione oppugnantur, sæculis sibi succedentibus prætereant ac dilabantur, ipse vero annos amplius sexies mille sexcentos semper hostis humani generis, et quidem occultus atque clandestinus permanserit, hominesque par ipsosmet oppugnet, et eos præsertim, qui modo nascentes in vitam introierunt, qui non solum certaminis hujus periti non sunt, sed etiam vires ejus bellicas funditus ignorant (sic enim jaculatur, ut videatur, nec tamen ipsi vident : ut angelus lucis apparet, et ut tenebræ bellum gerit), adversus unumquemque non mediocrem usum, experientiamque est consecutus. Finis autem et scopus ejus oppugnationis non contemnendus, et formidabilis est. Nam cum a principio genus hominum a Deo exterminaverit, contendit nihilominus, ut ab eo exterminatum maneat : aut ut ab exilio ad Deum Christi opera revocatum (sicut est sapiens ad male faciendum) rursus ab eo segregetur et exulet. Hinc igitur quivis scientiis scientissimus evasit, Hellenismi, Judaismi, hæresum, vitæ orthodoxorum, et asceticorum certaminum. Ac per Hellenismum quidem, perque externam, ut vocant, sapientiam, homines in fraudem inducit, per Judæismum vero, et cultum Dei ab illo præscriptum, judaizantibus persuadet, eos bono in statu versari. Idque etiam Agarenis fecit. Per hæreses cultores Dei circumscriptos, ab una in Deum fide divellit. Orthodoxos quoque per id, quod orthodoxæ, seu ex vera et recta opinione institutæ vitæ adversatur, per voluptatem scilicet, per avaritiam, et vanam gloriam, a Deo abducit. Per asceticam denique, et philosophicam vivendi normam, multorumque incommodorum perpersionem, cum vectem subjecerit, initium improbitatis, nempe existimationem sui, sive arrogantiam, desideriumque honoris ab hominibus impotentissimum, hoc omnium virtutum adversario, et iniquo machinamento, animas in sanctitate ac justitia viventium prosternit atque subvertit. Quibusdam item zelo Dei injecto, sed non secundum scientiam miseris illos tyrannos reddit, quod profecto multis descendendum est lacrymis : siquidem præsentibus futurisque bonis privantur. Quid enim est aliorum omnium interitus, si cum talium hominum jactura comparetur? Hæc namque singularis est et incomparabilis calamitas. Sequitur ergo ut investigandum sit, quo pacto ejus insidias devitemus. Id aliter inveniri non potest, nisi ad extremam humilitatem animi, et summam contritionem cordis, atque ad unum Deum, eundemque hominem, et Dominum Jesum Christum confugiamus : *Qui pro nobis pugnabit, et nos tacebimus* ⁵³; in quo solo datur contra hostem hunc aciem instruere, et resistere, et vincere : nec est hic alia via, ratioque sapientiæ.

Quapropter si in Christi gratiam in egestate quispiam vixerit, inediam vigillasque toleraverit,

⁵¹ I Cor. 1, 31. ⁵² Matth. vii, 2. ⁵³ Exod. xiv, 14.

et per continentiam corpus macerarit, liberalis in A pauperes, alienam vicem dolens ac benignus fuerit, bene sane, sunt enim bona hæc. Verumtamen caveat diligenter, ne labores et mercedem perdat. Etsi enim hæc opera bona sunt, tamen præterea aliud quiddam bonum est, per quod salvantur, qui per ista salutem adipiscantur: siquidem duarum magnarum rerum instrumenta et efficientia sunt, propitiationis puta, et gratiarum actionis, et ea comparate fieri necesse est. Nam dilectus ille Joannes ait: *Omnis qui peccat, non vidit Deum, neque novit eum* ⁵⁴. Si igitur quis agnitis peccatis suis poenitentiae lumen acceperit, et poenitere coeperit, talia opera suscipiet, ut Dominus ejus contritionem, humilitatem, studium alacere videat, et misertus ei reconcilietur. Argumenta autem reconcilia- B tionis sunt, affectuum turbidorum sedatio, odium peccati, perpetuus Dei ubique presentis timor, compunctio, religio, animi in sacris cantibus, lectionibus, auditionibus a Deo inspiratarum Scripturarum attentio. Omnino enim nemo quidquam horum ante recuperatam Dei gratiam consequitur. Animam quippe gratia Dei quodammodo tangit, inaspectabili quadam ratione ei reconciliata, et quæ eo usque instabilis et vaga fuit, firmari ac stabiliri incipit. En unam rem magnam et admirabilem, pro qua gratiæ debentur Deo. Consecutus autem misericordiam, sanctitatem, firmitudinem, si hæc opera facit, ut pro adeptis gratias agat, pro reconcilia- C tione, inquam, cum Deo, etiam sic rationi convenienter faciet, ut perfectam redemptionem consequatur, et diviniore cognitione occultorum Dei honorum (quorum pulchritudo ab oculis non peccantium modo, verum etiam poenitentium abscondita est) dignus evadat. Quicumque igitur hujusmodi actiones usurpant, simpliciter ut bonas, nec ob has causas, culpa non carent, viventesque in egestate voluntaria, jejunantes, eleemosynas repentes, moriantur peccatores. Atque id lamentabile est, eos apud tam placabilem Deum se in gratia non reposuisse, neque secundum rationem videlicet, neque congruenter reconciliationem operatos. Congruenter dico, quia si jam reconciliatus adhuc iisdem pro reconcilia- D tione impetranda dedimus sit, Deum a se avertit: quemadmodum et ante reconcilia- B tionem, si pro gratiarum actione ista præstet. Etenim homo, ut intelligentiæ ac mentis participes animal facultatem cognoscendi habet, omniaque cum ratione et cognitione illi faciendæ sunt: id quod erga homines alios facere consuevit. Qui enim regem pro offensa sibi propitiare studet, non prius gratias agit, quam in ejus amicitiam restitutus sit: sed conatur, ut prius placatum habeat, ac tum demum gratiarum actione fungitur. Alioqui τὸν λογικὸν (mentis compotem) Dei Patris λόγος (mens) et Filius, et solus Salvator salvare ἀλόγως (sine mente seu temere) non vult. Sed ut

justus, juste postulat cum in quo est ratio et intellectus, ita se erga Deum gerere, quomodo se erga homines gerit: et timere illum, ut homines timere solent. Sane si nos dignitatem ac præstantiam, quam ratio nobis affert, labefactamus atque immuimus, ipse cum labefactare et immuere non potest: sed secundum naturam a se cuique tributam, etiam legem teneri vult in omnibus.

Quis ergo salvari concupiscit, quamvis id se concupiscere omnes fateantur? Omnes cupiunt affluentibus rerum copiis ditari, aurumque et argentum, lapides pretiosos, margaritas citra laborem, lassitudinem, arduam, sollicitudinem possidere, quod fieri haud potest. Qui igitur aiunt: salvari volumus, et pro salute acquirenda defatigationem animi et corporis nullam suscipere instituunt, qui tandem salvari queunt? quando etiam qui salutis causa ad laborandum prompti sunt, totoque animo, verbo et opere eam expetunt, nec ipsi quidem salvari possunt. Ut enim, qui cum nihil laborent, tamen salvari desiderant, salvari nolent, cum salus sine labore non constet: sic qui facultate, prudentiaque propria ad labores pro salvatione obtinenda aggrediuntur, ideo ea potiri nequeunt, quod non in virtute salvati cupientis, sed in misericordia Dei per Jesum Christum constituta est. Alius enim est qui salvatur, et alius qui salvat. *Absque me non est salvator* ⁵⁵, ait Deus. Et apostolus Paulus: *Velle bonum adjacet mihi, perficere autem non invenio* ⁵⁶. Quid igitur, Paule? Dic age, quo pacto salvati licet? Gratias ago Deo meo, respondet, per Jesum Christum, *quia lex spiritus vitæ in Christo, liberavit me a lege peccati et mortis* ⁵⁷. Et gratia sit benigno Deo, qui ex immensa charitate erga homines ipsum velle cum infirmitate copulavit, ut homo volens non possit bonum operari, tametsi cum labore multo; et in ipsum arrogantiae vestigium declinet, quæ primum peccatum, et fons criminum, et nature lapsæ ac debilitatæ causa fuit. Solo namque Deo vires sufficiente, etiam ipsa voluntas nostra ad ejus voluntatem ab omni arrogantiae macula purgatur.

Verum dicat fortasse aliquis, quid porro salutem consequenti propria relinquitur? Si enim ipsa quoque voluntas ejus sublimiore quadam virtute indiget, quomodo volens salvatur? Hoc est quod saltem ei relinquitur, ut audiat de salute, ejus desiderio flagret, et norit enim, qui salvare possit: cetera ut sibi donentur ab eo qui salvare, et conservare, et restituere in pristinum statum potest, ex imo pectore, omni dubitatione remota roget, ducto initio ab accipiendæ voluntatē qua velit, quæ Dei, et salutis sunt, usque dum eam adipiscatur, et desiderium conquiescat. Primum quippe Dei munus est, aliquem de salute verba facientem nancisci; præcones enim ignorantibus mittuntur: et hoc donum plane mittentis est. Secundum autem

⁵⁴ Jo. II, 6. ⁵⁵ Isa XLIII, 11. ⁵⁶ Rom. VII, 18. ⁵⁷ Rom. VIII, 2.

munus, quod humanæ naturæ antea inhiatum est, aures dictis commodare. Ideo enim et illis qui non audiunt, his verbis Christi gravissimè minetur. *Si non receperint, nec audierint vos, tolerabilius erit terræ Solorum et Gomorrhæorum in die iudicii, quam illis*⁶⁷. Tertium Dei donum bonum quoddam est, quod intellecta perspicitur, quæque maxime serens per baptismum illuminatis tribuitur. Qui namque de salute audivit, seque docenti attentum præbuit, ipsum quidem desideravit, elegantiam autem et pulchritudinem ejus nondum aspexit, et divino lumine mysticè opus habet, quod ei desuper obambret. Hæc anime oculos illuminans, dum hæc ostendit, pulchritudinem et fœditatem; pulchritudinem quidem salutis, fœditatem vero ejus qui sal-

vat. Quid amplius? postquam desiderium primam anime motionem assumens, voluntatem adhuc imbecillam, et cunctatorem et impotentem ad salutem habuerit, senseritque anime voluntatis miseriam, ex alto virtutem flagitat, et voluntas confirmetur, et tota salutem cupiat. Post hæc incipit oratio, laboriosa ad cognoscendam, et a spiritibus adversariis, ut arando agitata. Hæc confirmata hæc voluntas laboravit, et sudabit vultum, petens divinum orandi donum cœlitus accipere, ut in Spiritu sancto fiat oratio. Jesum enim non potest anima Dominum suum, hoc est, sibi imperantem dicere, aut explorare nosse, nisi in Spiritu sancto⁶⁸, ut ipse Spiritus sanctus cum habitaverit in anima. *Postulet pro nobis genitibus inenarrabilibus, clamans Abba Pater*⁶⁹, quo illius vox glorificatorum propria fiat, et per orationem gratiosam, acceptamque anima fructus spiritus germinet, charitatem, gaudium, pacem, longanimitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam⁷⁰. Hæc ordo eorum est, qui salvantur. Sin minus, in montibus, et solitudinibus, et locis quos Dominus non visitat, oberrabit, qui hunc ordinem non sequitur. Nam nullum servare ordinem, licentiæ et contumaciæ indicium est. Cujus autem initium lubricum, etiam finis inutilis, laborandoque fatigabitur, et studio inani lassescet, qui saluti vacat. Ferme enim salus omnis in Christo Jesu Domino nostro posita est. Ideirco et rex, et Dominus appellatur, quoniam super singulos in eum credentes, per Spiritum sanctum regnat, et ut rex, ac Dominus suorum fidelium, ipse per eos quod placitum coram se est, operatur. Fit enim iis, in quibus regnat, viæ dux, gubernator, magister, œconomus, præses, opitulatur, ab omni peccato redemptor. Atque enim si quidam citra Christum boni quispiam agere videantur, mendacium sunt. Tunc autem veritas fiunt, cum Christus super ipsos regnaverit, cui dicebat Pilatus: *Ergo rex et tu?* et respondit ei: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*⁷¹.

Tunc ille quæsit, quid esset veritas. Sed tacuit Dominus, quod sciret Pilatum hoc mysterium absconditum non posse capere. Nam eum regnare super omnem hominem oportet, quoniam aliter characteres rationales humanæ naturæ apud novumque resplendere nequaquam possunt: et irrationalitatem præter naturam ex peccato in genus humanum ingressam, atque ita firmatam, ut secundum naturam existimetur, obscurari ac deleri. Non enim possumus, non, inquam, possumus ab ἀλογίᾳ liberari, nisi Christus, qui est Λόγος, super nos regnaverit. Atque hæc est illa veritas, cui ut testimonium perhiberet, Christus venit. Nisi enim ipse rex noster fuerit, nunquam quod placitum est coram eo, præstare poterimus: sed ab impostore et inimico humani generis regemur, nec sentiemus. Ubi enim regnat Deus, non ibi diabolo servitur, sed ministerium omne in Deum confertur.

Etenim quis ignorat Deum esse conditorem cœli ac terræ, et omnis creaturæ, tam quæ cogitatione percipitur, quam quæ sub aspectum subjicitur? Esse etiam regem eorum, quæ ex nihilo ut exstarent, producta sunt, creatis simul ab eo omnibus? Deus enim Pater Verbi sui ac Filii, Dei ac Domini nostri Jesu Christi, per quem fecit omnia, etiam in Spiritu sancto suo regnat super omnia. Hæc igitur una Deitas, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quæ in tribus subsistentiis, coeterna, principii coæternæ, consubstantialis regit cœlum, solem, lunam, stellas, aerem, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et angelos, et homines velint nolint, quia Dominus unus est⁷². Quoniam autem regis potestatis proprietas est providere omnibus, in quos regnum est, etiam Deus hisce omnibus providentiam et curam suam declarat. Sed quia omnis condita natura, præter ratione præditas, angelos nimirum atque homines cognitionem ac notitiam capere nequit, hæc ipso quod ratione caret, ideo Deus quoque ut ignorantem, simplici via providet: cum angelorum hominumque, quorum est cognitio, curam gerat assiduam. Vult autem hos, ut naturas intelligentia ornatas nosse opificem, provisorem, et Salvatorem Deum. Ea propter siquidem procreati sunt, ut tanquam naturæ consilii, mentisque participes, et ingeneratam cognitionem habentes, conditorem perpetuo celebrarent, eique tum pro seipsis, tum pro universis gratias agerent. Unde quanquam Deus rex est omnium, tamen hominum duntaxat et angelorum volentium rex esse vult: nolentium nequaquam, ut ne arbitrii libertatem illis tollat. Qui enim ratione utens natura sit, si voluntate careat? Quocirca etiam Dominus noster Jesus Christus nostrum similis homo natus, et magister, quod latebat, et ignorabatur, consortibus generis ac fratribus suadet, dum ita docet ac dicit: *Quærite regnum Dei, et justitiam ejus*⁷³, ut volentibus nobis imperet. Simul enim naturam

⁶⁷ Matth. x, 15. ⁶⁸ 1 Cor. xii, 5. ⁶⁹ Rom. viii, 26.

⁷⁰ Matth. vi, 33.

⁷¹ Galat. v, 25. ⁷² Joan. xviii, 37. ⁷³ Deut. vi, 4.

rationis capacem regnum Dei attingit, et simul A
omni eam justitia cumulat. Hinc et quotidie Deum
ita precamur : *Adveniat regnum tuum, fiat voluntas
tua* ⁶⁵. Hoc enim vult, et ob hoc ipsum corpus hu-
manum induit, et istud primum editum, etiam
principium Evangelii fuit. Nam quod dicitur : *Ap-
propinquavit regnum cœlorum* ⁶⁶, hoc est. Nisi enim
intelligens anima modo intelligibili sensum regni
Dei acceperit, quod ipsam tetigit, spes salutis in
irritum cadit. Animam porro in qua Deus regnat,
regnantis beneficia, et efficientias nosse oportet.
Ubi enim rex præsens est, ibi item regni notæ et
iudicia plane sunt, æquitas, mansuetudo, veritas,
humilitas, quæ illam regis humilitatem referat,
bonitas, justitia, et omnis pietas. Insuper patientia,
humanitas, compassio, dilectio sine simulatione, B
longanimitas, tolerantia, sustinentia. Et horum
contraria in iis, in quibus Deus non regnat, perspi-
ciuntur, et inde cognoscuntur, de quibus præcepit
Dominus exercitibus suis : *Illos inimicos meos, qui
noluerunt me regnare super se, adducite huc, et in-
terficate coram me* ⁶⁷. Qui enim audiverunt, et didi-
cerunt multifariam, per quæ opera et mandata a
Christo regnum cœlorum adepturi sint, et ea con-
tempserunt, terrena ac pereuntia, temporalemque
gloriam præferentes, prorsus quam infideles acer-
bius punientur, quoniam Christum cognitum reci-
pere noluerunt. Nam qui recusavit illud opus,
cujus causa Christus ex sancta Virgine natus in
mundum venit, manifestum est utique eum neque C
Christum recipere, etiamsi eum recepisse videatur.
Qui autem vere in Christum crediderunt, eumque
receperunt : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* ⁶⁸.
Mox enim ut crediderunt, divinitas ejus ipsis cre-
ditur, ut quemadmodum ille est Deus homo
ic qui credit sit homo Deus.

ORATIO XIV.

ARGUMENTUM.

*Quam potestatem Christus acceperit. Prius Christi
gratiam participare, atque ita vitam secundum
Deum consecrari oportere. De peccato, et justitia.
De carnali, et spiritali. De virtutum capite, et
pedibus.*

Apud Davidem legimus : *Quis est homo qui vivet,
et non videbit mortem, et eruet animam suam de
manu inferi* ⁶⁹. Si igitur istud cuivis et ubique im-
possibile, soli autem Christo possibile est, ob quod
etiam in terras venit, id est, Deus homo factus
est, nemo propter aliud quippiam, nisi propter
hoc solum vim inferat, id est, ut volentem omnes
liberare, cogat et cogentem liberare. Cogitur
quippe rex Jesus, volens hoc non propter se : sed
quia res ardua est, et nos magnitudinem salutis
ignoramus, vult a nobis cogi, et vim pene tyran-
nicam sustinere, ut partim quidem ex iis quæ pa-
timur, a peccato graviter circumisessi; intelligamus
in qualem necessitatem non sponte venerimus :

partim vero, ut cum libertatem a peccando adepti
suerimus, gratias liberatori magnificas agamus,
tanquam pro re ingenti, et cuivis omnino impossi-
bili. Propter hoc obsecrationibus et jeuniis, et
erogatione, et contritione, et aliis afflictionibus
opus est. Non enim citra laborem, et otiosis gra-
tuito hoc præstare vult Christus; sed postquam id
in immersione baptismi cujuslibet fecit, infantes
magnum, præcellentemque gratiam, non potue-
runt agnoscere, necesse fuit hoc rursus per labo-
rem acquiri, iterum accepta gratia, quæ hoc habet,
ut apud neminem se ignorantem perseveret : sed
ob ignorantiam illam avolet. Quisquis ergo Chri-
stianus nondum ex imbecillitate ad faciendam Dei
voluntatem per divinam Christi virtutem confir-
matus est, eat, ac per fidem, et impositionem ma-
nuum dispensatorum gratiæ confirmetur prius
(quæ gratia ex fide donatur, non ex operibus) ut
virtute ex alto prius indutus, ita demum vitam
Christiano dignam transigere possit : ne nudus a
Christi gratia inventus, extra Christi partem eji-
ciatur : nec enim tantum propter peccatum reco-
dit, qui illa potitus fuit, quantum propter ignoran-
tiam. Nam hoc est omnem hominem velle ad agni-
tionem veritatis venire ⁷⁰, quoniam non aliud
quidem veritas, quam gratia Christi, ac propter
eam gratiam venit, et occisus est Christus : qui
cum Deus, Dominus ac hæres sit omnis creaturæ
per ipsum conditæ, potestatemque habeat in ea
quæ condidit, non tamen habet potestatem gratis
dandi hanc gratiam hominibus : *Quoniam justus
Dominus, et justitias dilexit* ⁷¹. Injustum siquidem
erat, volentem, et nulla compulsam necessitate, et
per dolosum mendacium tantum ea sponte nuda-
tum, et scelere inquinatum, sine magna vi in
resistendo adhibita, eadem rursus circumdari.
Idecirco et nobilis facta est compensatio, Deus ipse
natus homo, in sacrificium pro ea datus est. Unde
et Christus post resurrectionem ait : *Data est mihi
omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes docete
omnes gentes, et baptizate eos in nomine Patris, et
Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia
quæcunque mandavi vobis* ⁷². Hinc et nomen ejus
est apud Isaiam ⁷³ ἑξουσιαστής, potestatem habens,
non ut Dei, sed ut θεανθρώπου, Dei et hominis.
Etenim ut Deus, quomodo eorum, quæ fabricatus
est, non habebat potestatem? Sed ut homo, cum
se volens pro redemptione in sacrificium obtulisset,
ab ipsa natura operis quod peragebat, potestatem
accepit. Si enim Deus in pretium redemptionis
impensus est, patet non fuisse ullum donum isto
præstantius, quod ad obliterandum Adami deli-
ctum Divinitati offerretur. Lapsus enim Adamus,
intelligibili Dei gratia qua fruebatur, exutus est,
quam nunc salutaris perfusus unda quilibet rursus
induit. Nam *quicumque in Christo baptizati sunt,
Christum induerunt* ⁷⁴.

⁶⁵ Matth. vi, 10. ⁶⁶ Matth. x, 7. ⁶⁷ Luc. xix, 27. ⁶⁸ Joan. i, 12. ⁶⁹ Psal. lxxviii, 49. ⁷⁰ I Tim. ii, 4. ⁷¹ Psal. x, 8. ⁷² Matth. xxviii, 18, 19. ⁷³ Isa. ix, 6. ⁷⁴ Galat. iii, 27.

Itaque humana quæ sentiuntur, cernunturque, A humanorum quæ tantum intelliguntur, nec sub oculos veniunt, formæ et imagines quædam sunt. Exempli causa, homo nascitur nudus, puer infans, qui nulla re semet juvare potest, quandiu lacte materno alitur, ab ea sola curatur : ast ubi ratione jam uti, et institui, ac proficere cœperit, ut sibi met opem ferre queat, tum nimirum quærere et rogare potest. Pari modo anima omni virtute nuda creatur : cumque ad regenerationem accesserit, Christum induit, a Christo nutritur, eruditur, quærere et rogare discit. Exinde nisi roget, nihil ei Christus largitur. Rogabit vero conducibilia. Primum quidem lumen, ut videat. Videbit autem omnem in seipsa miseriam, illicoque humiliabitur, et humiliata mansuescet, mansuetacta vias Domini a Domino mystice docebitur : *Qui mites docet vias suas* ⁷⁴. Sane qui prius gratiam Christi non induit, atque ita ad vitam, moresque Christianos sese dat, operam perdit. Quæcunque enim mala pertulerit, aut bona egerit, nondum Christi gratia vestitus, nullam inde utilitatem reportabit, perinde ut Judæi et ethnici Deum nescientes : siquidem non est in orbe terrarum quisquam adeo impius, qui nunquam aliquid cum virtute conjunctum naturæ hortatu effecerit. Prius igitur contendendum, quod supra docuimus, ut per fidem, per pœnitentiam, per impositionem manuum presbyteri gratiam adipiscare : sine quibus ad eos, qui ipsam post baptismum amiserunt, non reveniat. Quod si etiam C citra manuum impositionem in aliquos venit, certe eorum exiguus est numerus, duo aut tres forsitan, et raritas legem Ecclesiæ non præssigit. Nec peccasse itaque, nec peccare peccatum est : quemadmodum nec cæco aut offendisse pedem ambulando, aut offendere cæcitas est, nec ægroto morbus eibi stomacho nocentis appetitio : sed non participare divinam naturam ejus, qui pro nobis in cruce peependit Deus Jesus Christus, hoc peccatum est. Est enim nimium quantum difficile, atque adeo impossibile, ut non peccet, qui cum Jesu communionem non habet. Hæc etiam justitia est, participare et communicare cum Jesu. Cum hoc qui non communicat, nunquam a peccato mundabitur. Communicanti autem cum eo, peccatum non dominabitur. In ipso enim vi- D vunt, moventur et sunt Christiani ⁷⁵. Atque ut

breviter dicam, frustra Christiani nomen gerit, qui in agnitione Jesu communionem cum eo non habet. Talis porro ex confidentia et audacia adversus divina et sacra, ex iracundo et præfracto, arrogantique animo ; quomodo alius contra ex reverentia et pietate erga res divinas et sacras, item ex summa morum suavitate, et animi submissione cognoscitur. Nam ut ille nescit, sic iste novit, nihil se fecisse laudabile, nisi in communionem boni Jesu, qui usque eo se nobis attemperavit, ut formam atque substantiam nostri similem in se capesseret, ut per cognationem communionemque cum eo, vitæ rationem homini respondentem inveniamus.

Sunt vero qui in terris etiam et in corpore angelicos mores æmulantur, cum penitus tota animæ et corporis natura Jesus communicanti sibi permistus fuerit, et cum eo unum evaserit, ut hujusmodi homo possit usurpare illud : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* ⁷⁶. Duo quippe sunt citra confusionem unita : disjunguntur autem aliquando, idque in nobis ipsis, et ea carnalia ac spiritualia dicuntur : quando idem homo interdum carnalia, interdum spiritualia sapit. Qui igitur spiritualia sapit, et agit, fidelis est, et nominatur ; nisi enim in seipso gratiam sanctissimi Spiritus haberet, sibi creditam, spiritualibus non lungeretur. Qui autem quæ carni affinia sunt et sapit, et agit, infidelis, et nullius pretii est. Quod nisi ita esset, nunquam vacuus gratia Christi et diaboli patiens incursum, carnalia operaretur : quia omnis qui facit malum, ex maligno est ⁷⁷. Idecirco qui male agunt, eos certum est a dæmonibus impelli, habentes nequitie principem, qui in ipsis habitare cognoscitur. Etenim spiritus nequam et intelligentiæ notus est, qui infideles, et a divina gratia desertos spiritualiter afflat. Quocirca ratione præditi, et libera voluntate coonestati, velut alieno arbitrio subjecti cernuntur regi, sibi met ignoti, et opinantes ex illa sua libertate malum se committere. Quam opinionem magnum robur architecti improbitatis esse novimus : cujus omne studium in id impenditur, ut eo annitente, in iis qui malum operantur, operantes se id facere existiment. D Quid igitur ? dicet quispiam, perit arbitrii libertas (5) ? Sane, at non tota. Remansit enim in nobis

⁷⁴ Psal. xxiv, 9. ⁷⁵ Act. xvii, 28. ⁷⁶ Galat. ii, 20. ⁷⁷ I Joan. iii, 8.

(5) Locus lubricus censuraque dignus, videtur enim Simeon existimare, peccata ab homine per liberum arbitrium non committi, sed potius a dæmone in homine et per hominem, tanquam per instrumentum operante ; quod adeo falsum est, ut peccati ratio nulla ratione subsistere possit ; nisi a libero arbitrio procedat ; neque est ulla res præter ipsum hominem qui peccat ; quæ voluntatem directe ad peccatum movere et inclinare queat, docet sanctus Thomas, 1-2, quæst. 80, art. 2. Indirecte tamen potest et solet diabolus inducere ad ad peccatum ; vel proponendo et objiciendo materiam, qua quis ad peccatum allicitur, vel sugge-

rendo et persuadendo objectum propositum habere rationem boni, quia et suggerens, et suadens, seu persuadens aliquo modo proponit, *proprium objectum voluntati, quod est rationis bonum verum vel apprens, ut inquit sanctus Thomas : Sed nullo istorum modorum potest aliquid esse directa causa peccati, quia voluntas non ex necessitate movetur ab aliquo objecto, nisi ab ultimo fine. Unde non est sufficiens causa peccati, neque res exterius oblata, neque ille, qui eam proponit, neque ille, qui persuadet. Unde sequitur, quod diabolus non sit causa peccati directe vel sufficienter, sed solum per modum persuadentis vel proponentis appetibile.* Hæc sanctus Thomas.

sola cognitio, quod mali simus : sicut aegrotus in lecto jacens scire, se aegrotum jacere. Vult ille quidem surgere, at non potest. Illud potest, volens, ne pro arbitrio suo medicum querere. Idem tunc usu venit. Quapropter ait Dominus : *Omnes qui faciunt peccatum, servi sunt peccati, servus autem non manet in domo in aeternum. Si igitur filius vos liberaverit, vere liberi eritis*⁷⁸. Quoniam igitur arbitrii nostri libertas eo devenit, ut tantummodo medicum querere debeamus, ad Christum accedamus, qui a dominatione diaboli nos vindicet. Nemo ergo malum operans existimet, aut dicat, demonem non habeo : pro portione enim pravitate aut parvum, aut magnam, aut etiam multos demones habet : sicut spiritualis pro mensura virtutis aut modicam, aut multam gratiam obtinet, aut etiam plenus est Christi gratia. Jam vero divina Scriptura diversa charismata virtute praedictorum spiritus appellare consuevit.

Omnes itaque virtutes bonum quoddam sunt : omnium vero caput quoddam et pedes esse oportet : corpus enim sine capite ac pedibus constare nequit. Pedes virtutum sunt humilitas, caput charitas. Absque his duabus virtutibus omnis alia virtus vana et inanis est. Omnes siquidem virtutes

simul columnae possunt comparari, cujus basis humilitas, caput charitas, Deum portans. Nam sub charitate sunt ordine quodam misericordia, compassio, eleemosyna, communicatio, patientia, longanimitas, beneficentia, et quae Deus facit, benignitas. Circum humilitatem autem quasi circa basin columnae versantur obedientia, tolerantia, cognitio, prudentia, humanae imbecillitatis et altitudinis divinae cognitio, pro Dei beneficiis gratiarum actio, qui benefacit *a dexteris et a sinistris, per ignominiam et bonam famam*⁷⁹. Jam ubi erga Deum est gratiarum actio, ibi etiam videtur Deus. Qui autem pulchritudinem Dei intuetur, quomodo hunc ut longe pulcherrimum, omnisque pulchritudinis originem non amabit? Jam qui Deum diligit, etiam ejus mandata servabit, cujus mandatum est, ut amemus inter nos⁸⁰. *Ceterum qui non diligit fratrem suum quem videt, inquit Scriptura, Deum quem non videt, quomodo potest diligere*⁸¹? Per gratiarum vero actionem, et echaritatem acquiritur Dei visio. Sustinet igitur humilitas echaritatem, et echaritas firmat humilitatem. Haec quidem veluti pedes, qui per medium corpus ipsum et caput sustentant : at echaritas ut eberibicus thronus Deum portans, per interpositum corpus ab humili-

⁷⁸ Joan. viii, 34-36. ⁷⁹ II Cor. vi, 7. ⁸⁰ Joan. xiii, 34. ⁸¹ I Joan. iv, 20.

quest. et art. cit. qui etiam articulo proxime sequente pulchre docet, quomodo demon possit esse causa peccati interius ad peccandum instigando ; hoc est, commovendo phantasiam et appetitum sensitivum. Nee aut obest nostrae et verae, aut prodest Simeonis sententiae ; quod qui peccat, servus peccati efficitur. Haec enim servitus, et sponte contrahitur, cum quis per peccatum libere se demoni subiciat, et sponte etiam se libere servitur, cum homo divina gratia adiutus libere possit illam deserere, et ad libertatem filiorum Dei transire ; et quidquid mali sit, dum quis in servitute demonis permanet, id libere sit ab ipso homine, quamvis impellente et incitante diabolo ; quae tamen incitatio non affert necessitatem, libertati voluntatis. Nec notio servi excludit libertatem voluntatis ; quia, licet servus sit instrumentum Domini, non est tamen instrumentum naturale aut inanimatum, sed animatum ; nec quaecumque animatum, sed ratione praeditum. Quare in quacumque servitute incidat, quidquid agit ut homo, id libere agit, tanetsi jussus et impulsus a Domino ; nam et servus mandato domini sui homicidium perpetrans, libere illud perpetrat ; quis enim cogeret, si nolle? Par ratio in nostro argumento.

Quod addit Simeon, *perisse arbitrii libertatem, sed non totam*, id itidem benigna interpretatione temperari debet, potest enim intelligi de innata naturali inclinatione potentiarum animae ad bonum, quam ex peccato existisse communiter tradunt theologii : quod tamen non est absolute intelligendum, quasi ipsa anima seu potentia amiserit aliquam partem ejus inclinationis, sed accipiendum est ex parte objecti, ut sensus sit peccatum, removendo justitiam, atque adeo naturam corrumpendo, obstetisse quominus potentiae (et in his ipsa etiam voluntas libera) prompte et sine peccato ferantur in bonum ; quod planius significaretur, si diceremus inclinationem potentiarum per pecca-

um impediri. Vide sanctum Thomam I-2, quest. 85, art. 1 et 2, et ibid. Gregorium de Valentia quest. 13, part. II, alioquin ex fide catholica certum et constitutum est, hominem habere liberum arbitrium ad omnes actiones civiles seu externas, et morales et etiam supernaturales ; cum hoc tamen discrimine, ut liberum arbitrium per suas vires naturales minime sufficiat ad omnes actiones, sed ad quasdam supernaturales adjutorio gratiae indigeat, ejusmodi sunt in primis actiones illae quae ad pietatem et salutem pertinent : de quo copiosissime disputat Bellarminus, lib. IV, v et vi, *De gratia et libero arbitrio*.

Haec pro explicatione verborum Simeonis, cujus mentem certius fortasse attingeris, si dicas, cum amissionem liberi arbitrii, etsi non totius, tantum in hoc collocasse ; quod homo in peccatum lapsus, nequeat amplius per solum liberum arbitrium resurgere, et cum Deo in gratiam redire, quod verum est, quamvis modus loquendi durior sit ; non enim propterea dici debet amissum ex parte liberum arbitrium ; licet namque homo a peccatis resurgere non possit solis liberi arbitrii viribus ; potest tamen resurgere per liberum arbitrium gratia Dei excitatio, corroboratum et adjutum, ita ut adjuvanti libere cooperetur. Ergo cum homo gratiam Dei per peccatum perdit, nihil perdit de libero arbitrio simpliciter et proprie loquendo, sed perdit tantummodo usum quemdam liberi arbitrii, qui est supernaturales actiones exercere quas liberum arbitrium sine subsidio gratiae exercere nequit, quippe quae longe excedant vim et facultatem naturalem liberi arbitrii. Gratiam tamen amissam, ipsa gratia divinitus adjuvante, potest liberum arbitrium de novo libere acquirere. Deique amissionem recuperare ; sicut et aeger (quod est exemplum Simeonis) studio et beneficio medici, libere sanari potest ; licet sanitatem, suis duntaxat viribus obtinere non queat.

itate, tanquam a pedibus sustentata. Paupertas, jejuni-um, continentia, iræ, linguæ, cupiditatis omnis sub jugo sunt justitiæ, quæ virum piæ ac religiosum decet, ut ne sit injustus, nec alium, sed ante alios semet multet. Plura enim quam necessitas requirit possidere, aut necessaria quidem, sumptuosiora tamen, injustitia est: quemadmodum et ventri definito alimento plus dare, injustitia est. Iræ autem frenos laxare, stultitia; proterve loqui, fatuitas; cupiditatibus sæcularibus indulgere, amentia. Non enim virtus est, a malo abstinuisse: etsi qui malum non fecit, non vapulabit, sicut ille scilicet qui fecit. Si autem faciet, omnino etiam vapulabit. At qui bonum fecerit, illi bene fiet: non quidem secundum rationem justitiæ, sed ex humanitate et bonitate Dei. Una enim quædam Christi sententia est, qua dicitur: *Qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit, vapulabit multis*⁸². Alia: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quia quod facere debuimus, fecimus*⁸³.

ORATIO XV.

ARGUMENTUM.

Tenere, seu observare quæ in divinis Scripturis leguntur, totum Dei munus esse. De oratione, et lectione, et quomodo Christiano psallendum sit.

Qui docetur, nisi quæ doctus est in animo retinet, nihil profecit. Qui litteras sciens, legit, nisi intelligat quæ legit, quodammodo illitteratus est. Qui legit et intelligit, nisi intellecta servare potest, nihil ei potest. Divinas Scripturas legere, nisi arbitratus est intelligere lecta in nobis est, et non est. In nobis, studium: intelligere a gratia Dei pendet. Verum tenere, seu præstare intellecta, id totum supremæ gratiæ acceptum referri debet. Quocirca pauci sunt qui ea præstant⁸⁴; sicut pauci sunt qui salvantur. Sunt ergo duo, oratio et lectio, quorum hæc qua via ad Deum perveniamus; docet, facitque hominem divinum: illa Deum flectit, ut mentem legentis illuminet, quo lecta et intelligat, et observet. Alia etenim scripta percipere et cognoscere possunt qui legunt: quæcumque autem divina et salutaria sunt, citra Spiritus sancti illuminationem comprehendi servarique nequeunt. Et quidem qui orare ut debet, edoctus est, tantopere lectionis non indigebit, divini gratiæ divino lumine replente ejus animam, et in statum quemdam diviniorem immutante. Qui autem continuam lectionem plaris facit, antequam orare, ut oportet, didicerit, errat, seque ipsum a divina salute abducit: imo vero sensus omnino expers est, tametsi in tota Scriptura sacra exercitatum se, et eam recitare memoriter posse fateatur. Ut enim citra calorem solis, fructus provenire non potest, sed hieme quidem nascitur, vere maturescere incipit, frigore autem nascitur, vere maturescere incipit, frigore autem perseverante ad

maturitatem non pertingit, sed inutilis ellicitur: meliusque erat, si nec a principio germinasset: sic qui calori solis illius, quem intelligentia percipimus, sese per orationis præstantiam non subjecit, nunquam fructum maturum per lectionem edere poterit: siquidem et discere prius, quemadmodum oratio instituenda sit, ut ubi didiceris, etiam orare queas, multum tempus, laboremque, et animi magis quam corporis desiderat. Quamobrem et Apostolus hortatur assidue cantare et psallere Deo in corde non in labiis⁸⁵. Sed quoniam *ex abundantia loquitur*⁸⁶, necesse est etiam per os ex abundantia illius gratiorum promi, cum ipsam cor prius mundum creatum, deinde divinus recitandis Spiritus innovatus fuerit: post letitiam salutaris Dei gustaverit, quæ ex consortio et communione Christi existit: deinde gratia Spiritus principalis firmitatem acquisiverit, et spiritualia nequitia, quæ cogitatione cornuntur, nulla ex parte ejus motiones, cogitata concutere et quassare suis flatibus possint⁸⁷. Ac tunc precibus divinis vacans, per radios mysticos per orationem super orantem exortos cogita et agnita, ad frugem maturam perducere potest: alioqui insipiens ac stupidus est.

Psallere igitur Deo bonum est, quia in primis fructuosum. Si enim quiddam singulare est, cum rege terreno colloqui, quanto singularius cum rege coelesti? Quis accedere propius, et cujusquam cum rege sermonem interturbare audeat? Sic neque dæmones ad illum appropinquare sustinent, qui cum Deo loquitur. Non psallere Deo, magna est factura: anima quippe non psallentis divino lumine, divina virtute et quiete insultibus demonum privatur, et omnis petulantia, omnis imman-ditia, omnis improbitas et injustitia, omnis fastus, ostentatio, arrogantia ab iisdem in eandem invehitur. Sicut enim cæli aspiratione corpora, ita perenni Dei memoria omnis anima prorsus indiget. Verum enimvero psallere Deo simpliciter ac perfunctorie, et sine timore, qui Deo astanti est necessarius, quem Cherubim tremunt, tantum abest, ut aliquid commodi, ut potius incomparabile detrimentum afferat; quia Deum exasperat, et a nobis avertit, nosque ab illo tanquam in exilium eiecit. Nimirum quemadmodum cum contemptu regi astantem satellites regis abripiunt, et a conspectu ejus exturbant, idque rex minime reprehendit: sic angeli Dei, mentem contemptim Deo astantis a Dei visitatione eiciunt, quam confestim dæmones arreptam, majore auctoritate libertateque (quia velut a lupanari aut caupona) imperiose quolibet, sive ad turpia et nefanda, sive ad improba, sive ad vana et inania ductitant: et neque qui patitur animadvertit, neque Deus liberat, quoniam ipsemet spreus atque contemptus est. Lege enim ita sanxit: *Servite Domino in timore, et exultate*

⁸² Luc. xii, 47. ⁸³ Luc. xvii, 10. ⁸⁴ Matth. vii, 14. ⁸⁵ Ephes. v, 1 seqq. ⁸⁶ Luc. vi, 45. ⁸⁷ Ep'cos. vi, 12.

*ei cum tremore*⁸⁸. Quapropter homini tali multo erat melius, si non psalleret. Dæmones namque in cæteris peccatis omnibus non æque, ut in isto contemptu Dei in animam dominari possunt. Et rex quidem terrenus debitores, quique in se peccarunt, patitur, contemptores severe ulciscitur. Quare cum contemptu psallere peccatum est omnium maximum. Deus enim cum a corpore segregatus sit, nec oculis istis aspiciatur, etiam modo quodam incorporeo et visibili colitur. Quem corporea ratione, et ut videri possit, colere, minus est illi conveniens ac proprium, sicut et apud Davidem est : *Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique : holocaustis non delectaberis*⁸⁹. *Ideirco cor contritum et humiliatum Deus non despiciet*⁹⁰. Contritio autem cordis mente et cogitatione fiat. Non tangunt oculorum sensum mens nostra et cogitatio, id est, ipsa anima. Hæc igitur mens, inquam, et cogitatio Deo qui intelligitur, nec videtur, danda sunt. In hoc enim cultus ejus consistit, ut inaspectabilia inaspectabili, intelligibilia intelligibili, et corporalia cum anima quoque ad Deum colendum se subjiciant, qui manibus humanis colitur. Quod vero etiam, quæ in sensus cadunt, non respuit, sciendum, tunc ea accipere, cum mente pura ac sincera oblata fuerint.

Omnis quippe oratio, ac psalmodia divinæ Scripturæ, cum Deo reconciliatio est. Aut enim petitio est eorum quæ Deus per gratiam, pro eo ac ipsum decet, hominibus donare solet. Aut sunt gratiarum actiones Deo pro opificio, qui nulla subjecta materia procreavit universæ. Aut commemoramus per ætates admiranda opera, prodigia et signa ad gloriam ejus, et salutem hominum, et vindictam iniquorum, improborumque exhibita. Aut arcanioribus rationibus divinam ejus administratam providentiam. Aut mysterium Incarnationis Verbi Dei, quomodo quem universitatis ambitus non cœpit, immaculatæ Virginis utero captus, natus, educatus sit, cœlestemque vivendi normam docuerit et ostenderit, salutaremque mortem perpessus, ab inferis resurrexerit, spemque resurrectionis, et vitæ æternæ generi hominum donaverit, et in cœlum, ut homo, assumptus fuerit, ut Spiritum sanctum ex Deo Patre suo procedentem, in eos qui in ipsum credidissent, demitteret; quem ab initio princeps homo Adamus habuit, et ob infidelitatem amisit. Hic namque totius œconomiae finis, ut credentes in ipsum velut Deum et hominem, in duabus naturis non separatis neque confusis unum Christum, Spiritum sanctum in suas animas, quasi animam accipiant, et ita nominentur fideles, et quasi sursum conflat, ac de integro facti, et a principio informati, ac per sanctum baptismata reformati, factique denuo, qualis primus homo erat, animo et conscientia, et sensibus om-

nibus sanctificentur : ut de cætero penitus non habeant in seipsis vitam corruptam, quæ possit appetitum animæ in carnales et mundanas appetitiones, cupiditatesque abstrahere. Qui ergo de his et similibus Deum qua die, qua nocte, et longis temporum spatiis alloquitur, et lingua quidem loquens, mente nescit quid loquatur, nonne hic nugari videtur? Nondum sane fidelis hujusmodi, neque Deo reconciliatus est. Fidelis siquidem est, et appellatur, cui donum sancti Spiritus conceditum est, quique, illud habet, quod donum simul mentem ipsam accipientium illustrat, et simul continet, colligens et conservans horum duorum intelligentiam, cui dicatur et quid dicatur. Prius itaque credere, et reconciliari Deo necesse est, et tum illi psallere sic ut qui psallere constituit, ante veniam de admissis qua verborum, qua operum, qua actionum, qua cogitationum petat. Reconciliata autem Deo anima, mansueta, humilis, et contrita efficitur, id quod reconciliationis cum Deo argumentum est. Sunt enim ista præcipua Dei dona, et charismata, mansuetudo et humilitas. Animam nitem et humilem dæmones ad voluptates corporis, aut avaritiam, aut ad vanam gloriam iterum oppugnare, ut ante, non possunt. Et in his duobus Christi donis levationem, ac requiem ab hujusmodi necessitatibus, invenit anima. Quamobrem pauca, cum timore et intellectu psallere debemus. Quod tamen omni sæculari monacho, anachorete, clerico, diacono, sacerdoti, episcopo impossibile est prorsus, nisi horum uniuscujusque anima pro mensura fidei ipsius in Christum, Spiritus sancti particeps fiat. Quoniam *nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*⁹¹. Et quia spiritus est, in quo adoramus, et preces inimus⁹². Et quia *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*⁹³, libertas autem et securitas a dæmonibus videlicet, qui odium, tristitiam, perturbationem, pusillanimitatem, pravitatem morum, nequitiam, incredulitatem, iracundiam, intemperantiam in anima excitant. Quibus qui constructi sunt, jejunantes, vitam solitariam quietamque sectantes, possessionibus carentes, multum psallentes, divinarum Scripturarum explanatores, orthodoxorum dogmatum conscriptores, et magistri Ecclesiarum, et sanctissimi, ac justissimi, et longe religiosissimi, cum Christo, vero lumine, qui omnem hominem sponte sua in verum mundum virtutum venientem illuminat, partem habere non possunt : *Nulla enim societas luci ad tenebras*⁹⁴.

ORATIO XVI.

ARGUMENTUM.

Deum propter excellentem charitatem multis calamitatibus hominem exposuisse. Penuriam, seu indigentiam Dei munus esse, quique eam fugit, eum

⁸⁸ Psal. II, 11. ⁸⁹ Psal. I, 13. ⁹⁰ Ibid. 19. ⁹¹ I Cor. XII, 3. ⁹² Joan. IV, 24. ⁹³ II Cor. III, 17.

⁹⁴ II Cor. VI, 14.

Christianismum fugere : Dei enim sententiam naturam nobis factam ; et tribulationes omnes gratiarum actionem docere. Cujus rei causa peccatum, morbi, et mors exstiterint.

Deus hominem post lapsum timoribus multis, et omnigenis casibus, quasi muro vallavit, et undique fecit turbis ac terroribus impeti atque jaectari, ipsumque in se a semetipso oppugnari. Causa hujus rei, admirabilis, omnique charitate ac bonitate referta est. Sicut enim pater quispiam, dives ac fortunatus bonis omnibus, si filium haberet sibi multo charissimum, ac propter vehementiam amoris erga hunc germanum ac dilectum filium suum nec cibum, nec potum, nec vestem, nec calceos, nec aliud commodum, recreationemve, nisi tantum ab se genitore vellet illum accipere, ut ideo a patris latere nunquam discederet, et super ejus genua requiesceret : si quando autem a patre alienari eum contingeret, et ab aliis, non a parente ad usum suum necessaria sibi præberi vellet, aut non inveniret, aut invenire quidem, sed in sudore ac labore et afflictione acciperet, quod omnibus patri servientibus valde serio imperatum esset, talem filium missum facere, repellere, et modis omnibus molestis afficere, quando extra patris conspectum versantem viderent, ut alibi non inveniens requiem, adactus necessitate, et invitus ad patrem, qui eum incredibiliter, et plus omnibus dilexisset, revertetur, in eoque conquiesceret : eodem modo Deus egit cum homine, ut nullam in hac vita rebusque mundi requiem inveniens (quoniam hæc omnia A vanitas) ad honorem Deum, Dominum, Herum, Patrem, Tutorem, Provisorem, Redemptorem, Salvatorem revertetur, et cum eo continenter versaretur, et inveniret ipse quidem requiem, Pater autem et Deus eo perfrueretur, ac super eo lætaretur. Erat enim, cum homo circumflueret omnibus copiis, et propter eam abundantiam in quiete ac voluptate esset, vacaretque afflictione et ægritudine, gaudens et exultans, nesciretque prorsus quid ægritudo esset. Ex negligentia igitur propter affluentiam desiderium parturivit eorum quæ supra ipsum erant, et quæ assequi non poterat, et quæ cum tetigisset, ut illi videbatur, de ipsa illa copia et abundantia dejectus, ad multorum, imo sane omnium penuriam redactus est, in tanta egestate constitutus, ut summæ abundantie summa indigentia e regione, et ex diametro opponeretur ; arrogantiam scilicet vindicans, unde audax illud facinus exstitisset, quo in donatam sibi affluentiam præsatietate contumeliosus exstiterat. Ex quo autem in egestatem devenit, multis ob eam ærumnis, laboribus, defatigationibus cumulatur, nec expleta penuria, tristatur, alligitur, desperat : naturaliaque

et inevitabilia vincula indigentie fugere volens, magnopere contendit, ut in vita nulla re egeat. Hinc aut occultus, aut manifestus et impudens alienorum invasor, avarus, injustus, rapax sit, zelo agitatur, invidet, rixatur, mentitur, pejerat, insidiatur, calumniatur, maledicit, pugnat, irascitur, bellat, se ulciscitur, occidit, etiam ipsum Deum contemnens quodammodo, qui velut temporaneum supplicium in hac vita indigentiam esse voluit, quam mortalium generi protoplasti transgressio induxit, et Deo inimicitias indicit, ac propterea rerum copias sibi parans, inde gloriosus, superbus, jactabundus redditur. Quid deinde? *Dominus superbis resistit* ⁶⁶, et tandem extrema ejus in eandem damnationem cum desertore Dei diabolo cadunt. Scire igitur licet, indigentiam justum esse a Deo supplicium, gratoque ferendam animo, ut ita commiserationem et misericordiam, et providentiam Dei in nos excitemus. Idecirco *Quem diligit Dominus castigat*, longe eum a superbia propter indigentiam removens : *Flagellat autem omnem filium, quem recipit* ⁶⁷, per morbos varios, et in-valetudines eum sibi copulans, gratias agentem, et patientem, et pro hujuscemodi certaminum corona adoptionem reportantem. Etenim protoplastus non ob aliud violavit mandatum, nisi quod nulla prorsus re egeret, essetque sine labore dives bonorum omnium.

Quare qui indigentiam fugit, quam effugere nunquam poterit, Deo videtur adversari, et ab ipso pronuntiatam sententiam, naturæque loco constitutam, quasi evertere conari, nempe qua jubet, ut *in sudore vultus nostri panem nostrum comedamus, donec revertamur in terram, de qua sumpti sumus* ⁶⁸. Quoniam igitur indigentia quilibet homini in hoc sæculo, parvo et magno naturalis poena est, qui hanc querit effugere, in poenas sempiternas incurret. Aliter enim quam per avaritiam, injustitiam, rapinam, præsentem indigentiam explere non datur. Solet autem bonorum copia generare superbiam, unde peccatis principium, et caput. Ea prostrata, superbum et arrogantem turpia designandi voluntas invadit, quæ ex amentia, et discessu a recta ratione progignitur. Omnis itaque Christianus qui indigentiam fugere laborat, etiam germanum Christianismum fugit. Esse enim Christianum, et nullius egere, impossibile est. Etenim Deus nostri similis inter nos factus, ut humanam naturam usque a principio instauraret, decreta sua, quæ ad damnationem transgressoris mandati sui, primi, inquam, parentis nostri fecit, corruptionem videlicet et mortem, cum dixit : *In sudore vultus tui comedes panem tuum* (6) : Et : *Terra es, et in*

⁶⁶ Jac. iv, 6. ⁶⁷ Hebr. xii, 6. ⁶⁸ Gen. iii, 19.

(6) Illa verba Domini ad Adamum post divini præcepti transgressionem Gen. iii, 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, non magis significant præceptum, quam illa ejusdem ad eundem : *Pul-*

vis es, et in pulverem reverteris. et illa ad Evam : *In dolore paries filios* ; sed significans poenam, quia Deus primos parentes, eorumque posteros multavit. Ergo, qui modis licitis operam dat, ut *Edicav*

terram revertaris ²⁸, non ita leviter sustulit. Ecce A enim et sudor ad panem acquiriturum permanet; et in terram de qua sumpti sudores, revertitur. Sed virtutis sicut ut divinae virtutis, et sapientiae suae ut divinae sapientiae participes faciens, qui in ejus incarnationem crediderant, eatenus legem suam infra at; ipse primus nobis exemplar factus, multis doloribus et afflictionibus usque ad mortem crucis ignominiosam perferendis. Similiter apostoli et fideles omnes a Christo bene corroborati, cum gaudio sudores et tentationes sustinent, et in multa patientia fructum ferunt. Propter hoc item martyres et ascetae, illi quidem poenis et supplicis non eximi, hi vero labores asceticos non alijcere, sed egregiam sibi tolerantiam suppeditari rogabant, B propositum certamen per patientiam certantes, ut pro labore suo mercedem in futuro saeculo reciperent. Unde Deus patientiae et longanimitatis Deus nominatur ²⁹. Igitur pro cuilibet angustia, et omnia tristitia necessaria est, propterea quod ante omne tentamentum nemo tentationum notitiam adipiscitur. Ubi autem a tentationibus irruentibus vindictatus fuerit, vindictae sive Deo, sive homini gratias agit. Cum itaque homo a tentationibus immunis custoditur, ad gratias ob id Deo agendas segnis accipit. Lapsus autem in tentationes, et ereptus, impense ei gratias agit. Quia si quis etiam semper Deo gratias agat, non ita, nec tantopere tamque alacriter agit, quam tentationibus et tribulationibus liberatus agere consuevit. Ut ergo ex animo, C et ex tota mente, et ex omnibus viribus gratias agat in tentationes et afflictiones, et angustias, et tristitias incidere oportet, ut virtutem Dei cognoscat. Adhuc remissio, et feriae duo non mediocria mala parant, nimirum, ut non tota anima gratiae agatur Deo; et ut mens carnis inanibus occupetur. Adhuc in illa sua quiete, tranquillitateque inexplicabili, si Deo gratias egisset, deceptus non fuisset; neque malum illud consilium unquam admisisset, neque Deus fieri concupivisset. Quare quemadmodum aspiratione aeris, sic gratiarum actione erga Deum opus habemus, si in tentationes, afflictiones, angustias, maerores, quod velle debemus, inciderimus.

GRATIO XVII.

ARGUMENTUM.

De vero monacho et pecunie, aut voluptatis, aut gloriae cupidum, non esse monachum; qui morbi ut a Deo sumentur, ascetis dura perpetienda. Cur omnia opera bonum hunc habeat finem, ut sanctificationem Christi recipiat. Cum intellectu psallere, solius Dei beneficio ascribendum. Quo pacto inter Deum, et homines inimicitiae intercedant.

Monachus est, qui professus coram Deo et angelis, se mundo, et iis quae in mundo sunt, mundum remisisse, et ad Christum se aggregasse, divina gratia, quae animo concipitur, mystice dignatus est, et ejus gratiae sensum quendam intelligibilem hausit. Prae ipsa enim omnes carnis vanaeque illecebras detestatus, per eandem mortuus, et ad omnes illas inhabilis, et ineptus efficitur. Ac tunc cum summo gaudio, ferventique desiderio ad divina Christi mandata fit strenuus, et ab omni voluptate, pecuniarumque, et honorum studio alienus (velut qui extra carnem, et mundum viveret) cognoscitur, et soli Spiritui sancto arctissime conjunctus, semper letus et psallens: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo salutari meo* ¹. Aliter quisquam referri in album monachorum nonquam potest. Tria enim sunt, voluptas, pecunia, gloria. Monachus qui adhuc voluptatibus se submittit, nondum monachus, sed etiamnum peccati, et Satanae mancipium est. Monachus cui amor pecuniae adhuc imperat, nondum monachus, sed idololatra est. Monachus adhuc ambitiosus, nondum monachus, sed principis hujus mundi probatissimus miles est. Qui igitur possidetur aut ab his tribus ex parte, aut ab uno horum trium universe, seu jejunct, seu vigilet, seu oret, seu psallat, seu homini cubet, et quaevis alia incommoda, laboresque ac molestias subeat, omnemque scientiam novit, cum Patre, Filio, et Spiritu sancto societatem non habet. Necesso est enim hunc prius libertatem, quae mente videtur a Dei Filio adipisci, qui ait, *Omnis qui facit peccatum servus est peccati: servus autem peccati non manet in domo Dei in aeternum* ². Est autem domus Dei regnum ejus. An hinc formidandam sententiam? Si igitur filius vos libe-

²⁸ Gen. iii, 19. ²⁹ Rom. ii et xv. ¹ Habac. iii, 18. ² Joan. viii, 34, 35.

rum indigentiam, partis opibus, effugiat, is non magis peccat in praecipuum Dei quam si det operam ut morbos effugiat; ipsamque mortem, si non semper vitet, certe differat. Itaque quando Simeon dicit: *Eum, qui indigentiam fugere nititur, fugere etiam germanum Christianismum*, et si quid aliud hujus generis in hac oratione occurreret, id accipiendum est de illo qui paupertatem intolerandum gravissimumque malum reputat, immittamque sibi invito et iniquo animo tolerat: oblitus Salvatoris sui, qui hanc omnibus divitiis anteposuit, immemorque poenae illius primae, quam Deus in mortales statuit, ut scilicet in sudore vultus sui viderentur pane suo, vitamque inter varias arum-

D nas et paupertatis incommoda exigent, quam poenam, cum a Deo infligitur, quivis patienter persolvere debet; tametsi ipsemet ea se afficere, nec tenetur, nec jubetur. Et si quis aut existeret, aut unquam existisset, quem sudor istius vultus nunquam tetigisset, omnisque indigentiae expertem vitam traduxisset, paratus ferre si quid a Deo sibi mitteretur: is nihil propterea in ullum praecipuum Dei commisisset, quanquam quis unquam fuit, qui indigentiam penitus a suo limine excludere potuerit, et hoc sudore aspersus non fuerit? imo quo quis avarior est; eo egentior est. Vere poeta: *Semper avarus eget.*

raverit, inquit, *vere liberi eritis* ⁶. Cum ergo quis a tribus hisce liberatus fuerit, tum demum, ut jam Christianus, et Christi servus effectus, psallere et orare debet. Certe enim qui aut ab his tribus tyrannicis affectionibus, aut ab harum aliqua subjugatus est, etiam volens in libertatem se vindicare nequit. Soli enim Dei Filio, atque Regi Jesu Christo, secundum potestatem quam a Patre propter necem perpressam accepit, istam donare libertatem concessum est, qui post resurrectionem suam dicit: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* ⁷. Ad liberatorem igitur confugiendum, quem penes solum est ista auctoritas. Et ne quid omittamus, quo ab eo a tribus hisce tyrannis in libertatem asseramur, pro ea nos inedia maceremus, et elemosynas distribuamus, ut videat nos cupere libertatem, qui vult misericordiam. Ceterum parte libertatis indicium est, perfectum odium illorum; ut a quorum cervicibus hoc jugum servile depulsum est, hæc tanquam monstra foedissima, quæ secundum Salomonis execrationem nunquam impleri queant ⁸, detestentur etiam. Itaque bonum est psallere Deo, orare, jejunare, vigilare, misericordiam exercere, et propter Christum egero. Bonum se humiliare: sed videmus in his, fratres, multos in vacuum aut cucurrisse, aut currere, et laborare inutiliter. Causa aperta est. Etenim quidquid agitur, propter aliquid agitur. Quia vero tota natura hominum post prævaricationem corruptibilis et mortalis esse coepit, atque idcirco imbecilla et ærumnosa, omniumque vitiorum et stultitiæ capax, quoniam pacto ipsa sese a semetipsa liberaverit? Quomodo ergo liberabitur? Si jejunia, vigiliæ, preces frequentarit, et laborarit, et facultates suas pauperibus distribuerit, ut a corrupta voluntate diviniore virtute liberetur, ab eo qui solus liberat, et qui venit tollere peccata mundi Jesus Christus et Deus. Qui ob hanc causam jejunit, vigilat, aliaque facit, et laborat, optatis potietur, et cognoscet, et gratias æget, et *humiliabitur sub potenti manu Dei* ⁹. Qui autem in vita agenda hunc scopum sibi propositum non habet, in cassum laborabit, infelixque et miser Christianus ad futurum sæculum transmittetur.

Intelligendum est autem, omnem operam diaboli, demonumque adversus Christianos in hoc collocari, ut hanc ignorantiam per omnium mentes diffundant. Atque ob eam rem dæmones ad jejunia, vigiliæ, humi cubationes, et cætera, quæ dicta sunt, ascensa ministros se præbent, ut qui se alligant, cum se recte fecisse putaverint, minime se a Jesu curatos inveniant. Lex enim Christo posita est inviolabilis, ne quemquam perturbationes, et morbos suos, eorumque medicum, et ipsam sanationem ignorantem curare possit: quam quidem primum apostoli, post eorum discipuli docuerunt. Atqui non doceri, et nosse sanitatem impos-

sibile est. Affectus enim morbo quispiam, qui prius bene valebat, de statu suo in quo sanus erat, cogitat. Verum ab ipsa conceptione, nedum ab ortu et exitu in lucem, natura arger, quomodo quid sit sanitas nosse possit? Qui etiam de sanitate audiens, non modo doctrinam non complectetur, sed et pro nugis ducet, quæ dicuntur, propter suam incredulitatem omnia, jejunia scilicet, ejusque comites pro incredilibus habens, et pro vinculis ferreis, de peccatis tum propriis, tum fratrum docere, et flere cum flentibus, ut etiam gaudere cum gaudentibus. Sed hæc omnia bona, admirabilia, et laude digna in nihilum recidunt, si is, qui ea consecratur, Dei sanctificationis participes non fiat: huc enim una tendunt universa, sicut Apostolus ait ¹⁰ de iis quos Deus erudire tanquam filios dignatur, quoniam erudit ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus. Quod nisi fiat, inanis labor, inanis fides. Primum igitur neque sine virtute Jesu, et Dei ipsa legitime exercere possis: et non coronatur, qui non legitime certat. Lex porro in his una, ut occulte et cautissime fiant, coram oculis solius Dei, usque adeo diligenter, ut neque sinistra nostra cognoscat, quid dextera faciat. Quæ autem sinistra, et quæ dextera? Dextera est, quæ Christum dicentem audit: *Cum omnia feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus, quoniam quod facere debemus, facimus* ¹¹. Sed enim, quis ille qui omnia fecit, quæ facere debet? Quod si quis aut omnia, aut nonnulla aliquando fecit, quis hoc potuit, ut prius mysticam Christi virtutem non suscepit? Si autem sine Christo fecit, vae ipsi, et operi ejus. Sinistra est, cum quis officio functus, honorem sibi a Deo deberi existimat. Talis post tantum certamen, et laborem ac defatigationem nunquam Christi sanctificatione impertietur. Et vae illi, postquam ex hac luce migraverit. Et quæ tandem receptionis nota? quæ? Non irasci, mundum esse a sordibus, quas amor impuræ voluptatis creat, Item mansuetudo, et firmissima horum basis humilitas, malorum tolerantia et compassione non secus quam ferreis fulta tibicinibus ferens dextera globum aureum, lucentem et coruscantem, simplicem, immaculatam (per bonam puta conscientiam) quæque nunquam excidit, benignam charitatem: sinistra autem fidem, ut arma solidissima. *Credidit enim Deo sine dubitatione, et reputatum est ei ad justitiam* ¹²: alioqui omnia faciet volens nolens, ut glorificetur ab hominibus. Non enim ubi Christus, illic dæmones; ubi autem dæmones, ibi a curriculo rectæ rationis deflectitur. Nam ut vesperiliones noctu circumvolant, et pascuntur: ita etiam dæmones cum principe suo, naturæ intelligentes, solutæque ac liberæ in vita hominum misera ac perdita, velut noctu terras atque aerias regiones perambulant.

⁶ Ibid. 36. ⁷ Matth. xxviii, 18. ⁸ Prov. xxvii, 20. ⁹ Petr. v, 6. ¹⁰ II Tim. ii, 1 seqq. ¹¹ Luc xvii, 10. ¹² Gen. xv, 6.

Similitudinem quispiam ex nostra mente ducat. **A** Quæ enim hæc aliquando cognovit, quantumvis longe posita, momento ac puncto temporis pervadit, idque adhuc corporis sui constricta vinculis. Hinc non est promptum vero Christiano animum sursum ad Deum, divinorumque perspicientiam erigere, atque sustollere, et cum illo summo bono colloqui, et per sanctissimas notiones illic circumfusi luminis participem fieri, nisi ante a Spiritu sancto velut sigillo insignitus sit. Cum enim diabolus eam divina gratia destitutam, aerem modo quodam spiritali concitatam penetrare, et Deum concipere, suorumque errorum recordari viderit, audacter viam custodjens, quodammodo clamat, Quo infelix per meum imperium pergis? Ego princeps tenebrarum. Ego eorum qui mundum sapiunt princeps appellatus sum. Ego corrupti aeris Dominus et arbiter Satanas. Nondum e potestate mea translata es (ut inquit Apostolus ¹⁰ de his, quos Christus transtulit de potestate Satana: ad Deum.) Adhuc ditioni meæ subjecta, quæ mea sunt respice. Mea est enim salacitas, insolentia, injustitia, improbitas, quæ te antea, ut admodum bona docuit. Vidisti, gustasti, delectata es, mane infra. Ideo scriptum est: *Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* ¹¹.

Non ergo ullum Christianum ad psalmodiam, divinosque hymnos concinendos astare oportet, qui prius a sancto Spiritu mentem insignitam non habuerit; ne coram Deo astans, quæ Satanae sunt, ut minister ejus, operari intelligatur: et ex hac causa sordibus inquinatior, malisque iræ, et carnalis cupiditatis dirius, et suavius repletus subvertatur. Qui namque in officinam medicamentariam ingressus, vulnera vibicium iammitus sibi reficuerit, præstabat hunc eo nunquam ingressum. Multo igitur studio, accuratationeque ejusque Christiani mens corrigenda est prius, ne hoc ipso fiat deterior, quod ante correctionem psallit, hymnosque ac preces persolvit. Non enim potest impurus animus astare Deo, quantumvis corpus astet: quia non ipse unusquisque, sed quæ unumquemque obumbrat Christi gratia, ea est, quæ Deum benedicit, et in ipso laudat, et mysterium illud admirabile admittit. Omnes itaque homines congregantes, norunt quid loquantur, et quænam sint, quæ mutuo disserunt, cognoscunt. Qui vero audiunt, quæ ipsis dicantur non ignorant; et est manifesta stultitia, colloquentes vicissim aures non dare. Quoniam vero, cum Deo astantes eum alloquimur, ut imprudentes ac fatui animum ei non attendimus, unde salutem nos adepturos confidimus? præsertim si id diu fecerimus, noctes scilicet ac dies ita sine intellectu psallentes, et nos Deo placituros existimantes. Opus est enim cum Deo loquentes tantam saltem attentionem adhibere, quantam dum pro hujus vita

rebus contendimus, et jurgamur, adhibere solemus. Hinc perspicitur, quo pacto diabolus mentem hostam gravi malo involuti circumducat. Et omnis medicina spiritalis, curatioque experienda est, ut medicus animorum, et corporum Jesus hunc morbum sanet. Sin minus, psalmodia tota, habitusque ad Deum sermo inanis est, et evanescit. Quare ingemiscere, et plorare insipienter, ac sine intellectu psallentem oportet, nec putare, se psalmos cecinisse. Quod si idcirco non dolet, quid salutem sperat? Illud enim: *Non est speciosa laus in ore peccatoris* ¹², non de atleo, et infideli quopiam scriptum est (nullus quippe horum laudat Deum, quem ignorat) sed de eo qui Deum cognoscens, et in eum credens, per opera mala impius, et per peccatum Dei inimicus atque hostis est. Quemadmodum namque speciosum aliquid pulchrum est et elegans, ut pulchritudinem et elegantiam continens aspectuque jucundissimum, et ideo etiam oculorum obtutum ad se allectat: deforme contra est odiosum, et intuentium oculos a se avertit: sic laus peccatoris divinos oculos a se repellit. Solis enim labiis eam pronuntiat, corde autem cum peccatis, quæ id præoccuparunt, loquitur: a quibus ut tuta ac certa possessio retinetur. Nemo siquidem Deo cantare, et interim non in pectore infanda volutare potest: ni prius per pœnitentiam, et confessionem illum sibi reconciliaverit; quæ reconciliatio est quædam, quæ intellectu percipitur, ejus ad animam obumbratio. Cujus obumbrationis argumentum, in laudibus divinis timore quodam et reverentia perfusus animus, bonus ordo, et attentio ad ea quæ canuntur: *Quia nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*. Qui sic non laudant, sive sacerdotes sint, sive celsiores his, aliorum apud Deum interpretes ac deprecatores, adhuc a divino conspectu remoti sunt. Quod si hi inimici sunt ejus apud quem hoc officio funguntur, quid facient, qui hujusmodi interpretes, et causæ suæ actores quæsiverunt? At enim si sol calidus cum sit, apricantes radiis suis calefacere consuevit: quomodo Deus, cum sit sanctus, omnes per orationem secum agentes non sanctificat? Quoniam ibi sol iis qui calefiunt sensum affert, sentiunt quippe se calefieri, et ob hoc ipsum ad solem sedere se sciunt; hi autem qui Deo preces fundunt, quid petant nesciunt: quod matri filiorum Zebedæi, ipsisque filiis ejus Christus dicebat ¹³. Talibus, ut vel centum annos præcando consumant, Deus nihil dat. Quia igitur frustra laborant, qui psallunt et orant, nec sanctificantur, magistros a Deo afflatos prius adeant, et doceantur, quid orare debeant. Ni laxint, seu sapientes, seu insipientes sint, profani atque impuri morientur. Nam quid petant nescientes, Deus exaudire nescit

¹⁰ Coloss. 1, 13. ¹¹ 1 Cor. xii, 3. ¹² Ecclj. xv, 9. ¹³ Matth. xx, 22.

ORATIO XVIII.

ARGUMENTUM.

De immutatione animæ, et corporis ex iis quæ nobis tum ab aere, cæterisque elementis, tum a cibo ac potione, atque etiam a dæmonibus accidunt.

Non solum conversiones, et mutationes, quæ in animo existunt, verum etiam eorum causas, quales tandem sint, et unde sibi eveniant, monachus scire, atque intelligere debet. Interdum quippe repentinum gaudium animam incessit: interdum improvisa tristitia eandem occupat, et tanquam onus quoddam premit. Et nunc quidem facile compungitur: nunc ita ad dolorem de peccatis obfirmatur, et obdurescit, ut tota saxea videatur. Aliquando mitis fit, et humilis: paulo post se erigit, iracundiaque et rabie concitata, adversus omnes fratres furit, et insanit. Est quando remissa, et iners ad omne opus bonum torpet; est quando excitatur et vigilat, et ad omnem obedientiam gestit, ut et in socios ac familiares jocetur, eosque ad capessendam virtutem exstimulet. Nonnunquam timore contrahitur, et circumspicit omnia; nonnunquam se impudenter effundit. Modo nugatorum, et ridiculorum libenter meminit, eosque ad se accersit; modo nec illos, nec contubernales intueri sustinet. Quandoque in se ipsa ita pressatur, et aretatur, ut etiam hujus lucis pertædeat; quandoque sic dilatatur, et sic amplifice exultat, ut quamvis magno conatu reprimere, atque cohibere se nequeat. Et ista quidem circa naturales animi motiones fieri consueverunt, cum ad certamen in exercenda virtute, et ad mandata observanda accingitur. Sed quemadmodum animus, ita et mens nostra immutatur variaturque. Alias etenim ad intelligendum expedita est, et ad ea quæ intelligit, seu perspicit celeriter percurrenda ac discernenda expeditior: alias pigra, et tarda ad utrumque. Interdum eadem mens quasi amens, muta et surda fit: interdum viget, et facunda est, et audire potest, atque percipere. Aliquando cæca, aliquando oculata, in profunditatem et altitudinem contemplationis supra captum humanæ naturæ ingredi conatur; aliquando ad omnem contemplationem inepta, eaque vacans, universe peccatorum præteritorum meminit, nihil quidquam simile excogitans prorsus; nonnunquam varie, velut non facta cogitans, et comminiscens, et nequiter agens, et tanquam flamma in lignis humidis fumo suffocata, fit maligna, non in præsentibus tantum, sed et de absentibus nonnullis sæpe inania, et falsa in semetipsa fabricans. Et cum cor multum contristetur, nec cum mente in talibus sentiat, nihil penitus tamen proficere, nec avertere ipsam a vanis cogitationibus potest. Et hæc de mutationibus mentis, animæque nostræ intelligentis, ac divinæ dictum esto.

Quæ porro circa corpus varietates nobis con-

tingunt, etsi parvo negotio videantur posse dijudicari, facileque cognosci, tamen aliter res habet. In hoc enim potissimum multa frequentissime incidit mutatio. Anima namque natura et essentia immutabilis est: similiter et mens illi a Conditore concreata. Solæ consilio reguntur, propriaque voluntate virtutem aut vitia capessentes, luminis, aut tenebrarum sociæ et hæredes in æternum constituuntur; anima, inquam, et mens alteri horum consilio, ut dictum est, et voluntate ultro adherentes, seu bono, bona fiunt, seu malo, mala vocantur. At vero corpus etiam natura sua est mutabile, quia compositum, et essentia fluxum; nempe ex materia interitui obnoxia, et caduca, ex contrariis scilicet commistum sive coagmentatum. Ex calido enim et frigido (ut docent philosophi, et veritas idem testatur) ex arido et humido hujus essentia conflatur. Verumtamen ipsum secundum se arbitrio, et voluntate caret, atque etiam, si dicendum est, motu: nisi omnino hujus fluxionem progressumque ad interitum, motionem quispiam ejus hypostaseos naturalem dicat, in qua nihil rationis cernitur. Quod cum ita sit, certum est etiam, non inesse peccatum, nec eam a Deo condemnari. Et merito. Quod enim naturam comitatur, illud quoque damnationem haud meretur. Ardorem autem, appétitionemque nuptiarum, conjunctionem corporum veneream, voluptatem, belluacionem, ingluviem, somnolentiam, pigritiam, ornatum vestium, aliaque omnia, quæ vulgus existimat corpus requirere, non corpus (haud magis, quam cum exanime jacet) sed anima per hoc requirit, anima, inquam, semel huic luto indita, gaudens, et velut sus in cœno in his voluari concupiscens, carnisque sibi consociatæ voluptates affectans. Quare nemo a corpore suo ad hæc compelli, et cogi se arbitretur, quod falsum est. Sed audi, et intellige quomodo. E gleba terræ Deus hominem fluxit. En ostendi jam tibi corpus. Tu vicissim, quales in eo concitationes, ac turbidi motus sint, ostende, quod penitus non poteris. Quid postea? *Et inspiravit Deus in faciem ejus, et factus est homo in animam viventem*¹². Et ab humo excitatus, spiritu qui in ipso erat (herili videlicet) corpus movente ambulabat; ardor, aut incinatio libidinis, aut bruta ventris insaniam, et immoderatus cibi appetitus nusquam adhuc apparebant, vitæque tranquille, et citra molestiam traducebatur. Videamus igitur, ne forte, quia non exstabat femina, aut quia non suppeditabant escæ, cupiditatem irritantes, idcirco homo nec ad concubitum desiderium, nec ad ingluviem moveretur. Quid ergo ait? *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu*¹³. *Et erant Adam et Eva in paradiso nudi, et non erubescerant*¹⁴. Cernis, neque quia femina esset Eva, neque quia essent ambo nudi, ideo alterius ex ipsis læsam

¹² Gen. ii, 7. ¹³ Gen. ii, 9. ¹⁴ Ibid. 25

esse pudicitiam? Sed et nudi erant, et se non A cognoscebant, nec erubescabant, nec tamen a natura corporis ad rem habendam sollicitabantur. Sed post peccatum, et transgressionem, et postquam paradiso pulsati, ac Deo nudati fuerunt, et divina ejus gloria exciderunt, tunc, ut scriptum est: *Cognovit Adam uxorem suam, concepitque et peperit* 17. Proinde, dilecte, si tu quoque Deum sincere amaveris, et in ejus dilectione manseris, nunquam ullus animi motus a ratione alienus tui dominabitur: neque corporis necessitate quadam tyrannide opprimet. Sicut enim corpus sine anima ad nihil moveri potest: sic neque Deo per charitatem conjuncta anima ad ventris et libidinum voluptates pessumdari: nec ad alias quasdam cupiditates rerum aspectabilium, aut non aspectabili- B um, in quibus locum habet perturbatio: quandoquidem appetitus cordis ejus, aut potius omnis inclinatio voluntatis ejus, cum dulci amore Dei devincta est. Ipsa igitur Conditori suo colligata, ut diximus, cedo, quomodo a corpore incendi, aut moveri, aut per ipsum suas omnino cupiditates explere potest?

Naturam autem consequentes, et in ipso corpore existentes mutationes manifestæ sunt; omnibus enim, etiam sanctis, contingunt. Aliquando etenim sanum esse dicitur, cum illa ex quibus concretum, et compositum est, non dissident. Aliquando morbum sentire cogitur, quando unum ex quatuor ele- C mentis seipso vel acutius, vel minutius contra alia insurrexerit, imo ab illis devictum oppressumque fuerit. Hinc distillationes, extremarum corporis partium mutilationes, et nonnunquam totius animantis perniciæ et interitus, citra damnum animæ nostræ, cum horum plurima ex intemperantia vicius generentur. Quorundam vero corporum mutatio ventis et aeri ascribenda est. Aer enim quia frigidus, corporis frigidam sortita naturam offendit, ac debilitat, ut nimium refrigerata videlicet. Alia, quoniam constitutione calidiora sunt, cælo frigidiora temporaria potius ac valentiora redduntur. Contra, cum aer incaluerit, frigida foventur quodammodo, et reviviscunt: ut muscæ, et reliqua insecta a radiis solaribus tepefacta, et validiora, et agilia evadunt. At quibus constitutio calida est, D vehementissime exardescunt, et ad omnem actionem atque motum similiter languida, et imbecilla fiunt: et omnino unumquodque pro temperamento suo in aeris ventorumque mutatione ipsum quoque pro rata portione mutationem admittit. Quia etiam sine his separatim ex cibo, potuque immodico, et ex intemperantia immutatio sequitur. Præterea ex multo somno, ac labore, aut pigritia corporis. Rursum alia est, quod ex ipsa concretionem corporis, et calore naturali producit fumosum incendium, velut ab aqua exstinctis carbonibus, quod alias caput solum petit, alias toto se corpore dif-

fundit. Postremo alia restat, quæ conivente bono Deo, ac Domino nostro, secundum œconomicam institutionem ad humilitatem nobis a dæmonibus infertur tentatio. Quenam isthæc? ipsum hoc onus, et pondus corporis nostri, quod quamvis nulla alia de causa, propter vanam gloriam solum, aut elationem animi aut per damnationem alterius, ut negligentis, aut propter alias etiam causas plurimas, dæmoni traditur in interitum carnis, et contritionem animæ; probationem vero, et exercitationem ampliolem ejusdem, et ut cum viscera pietatis, et miserationem Dei circa nos cognoverimus, totum amoris affectum ad eum transferamus, totoque in illum desiderio feramur. Quare et hæc non omnes omnia norunt: sed animæ quidem alterationes, et corporis mutationes, qui mediocriter ad virtutem affecti sunt, eorum quisque ex parte novit, si forte contigerit in ipso quippiam hujuscemodi: nam plane tenebris offusos non curamus.

At quas mens patitur conversiones, et mutationes, de quibus diximus, soli turbidis affectibus carentes, et perfecti, puri et liberi anima atque mente cognoscunt. Quin ne ipsi quidem. Non enim sui ipsorum, sed alterius sunt, a quo de his etiam erudiuntur. Interdum quippe ex istis diversitatibus menti accidentibus, constringitur, tristaturque anima, cum de præsentis gaudio aliquid amiserit. Verumtamen viriliter mentem exsuscitat. Interdum vero mens in his quæ patitur anima compatitur et ipsa, et in nocte versari urgetur illa quidem, sed non cedit: conatur autem manere in lumine, et forsitan etiam animam illustrat. Alias rursus ab inconstanti et inequali corporis habitu utraque premuntur vehementer. Aliquando extrinsecus gravantur, et onus sentiunt; et tamen in pace sunt. Interdum intrinsecus turbantur, et commoventur, perturbationibusque generatim subduntur, ut qui patitur, priorem tranquillitatis suæ conditionem sperare non possit. Sic itaque anima, et mens a corpore, mens ab anima ipsa, et anima denique a mente, et corpore habet, quod delinquit. Neque hæc duo, anima et mens semper turbantur: sed ex his est quando anima patitur sola, percunctaturque mens, et, quid, inquit, est tibi? illamque consolatur. Interdum mens excæcatur, et obtegitur, animaque cum sit libera, virtute ignis sui persequitur caliginem, et sublato velamine mentem facit aspicere. Quamobrem, patres et fratres mei, non solum mutationes, conversiones, quæque nobis eveniunt alterationes, verum etiam unde eveniant, et quomodo, et a quibus, quique venti cogitationum spirent, et ex quibus pravæ affectionum, tentationumque flumina descendant, aut superveniant, intelligere debemus, ut domum animæ tuto firmemus, et navigii clavum bene moderemur ne artis imperiti, naturaque inhæbiles ipsum versemus: quorum cognitionem vita studiose re-

cundum regulam perpetuo acta suppeditat. Sibi enim ipsi terminum ac typum ponere monachum oportet, et scire quo pacto singuli dies peragendi sint, ut curriculum virtutis expedite queat currere, et ne per inscitiam cursus ejus impediatur. Sic etiam sibi viam virtutis asperam simul et laboriosam conplanabit: cum nimirum habitum, consuetudinemque recte faciendi acquisierit, et proficiens, ascensionesque in corde suo disponens, et ex parvis ad majora perfectioraque se attollens Deo placebit, dictorumque a nobis omnino notitiam habebit ¹⁸, et multorum aliorum magister audiet, sermone, et morum innocentia eos qui cum ipso versabuntur illuminans, ut qui etiam ipse desuper illuminatus sit; et profunda revelans his, qui cum desiderio quærent discere profunda spiritus ¹⁹, in Christo Jesu, Domino nostro, cui gloria, et imperium cum Patre, et sancto Spiritu nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XIX.

ARGUMENTUM.

De cognitione spirituali: et thesaurum spiritus in littera sanctarum Scripturarum absconditum, non omnibus, quanquam cupentibus manifestum esse: sed possidentibus duntaxat illum, qui sensum ad Scripturas intelligendas aperit.

Spiritualis cognitio, fratres, cuiusdam domui in medio mundanæ, et gentilis cognitionis adificatæ similis est: in qua domo, velut scrinio solum, et communitum est cognitio a Deo inspiratarum Scripturarum, et divitiarum, quæ in eo inexplicabiles, instar thesauri jacent recondite: quem, qui domum ingrediuntur, videre nequeunt, nisi arcula illis penitus reseretur; quam tamen humana sapientia reserare nunquam valebit. Quocirca spiritus opes in ea repositæ, mortalibus universis ignote manent. Et quemadmodum, licet ipsam arculam totam humeris suis impositam quis ferat, locatum in ea thesaurum ignorat: sic, etsi quis omnes Scripturas legerit, et in pectore recondiderit, et quasi unum psalmum eas recitare ex memoria possit, absconditum nihilominus in arcula sancti Spiritus donum nescit. Neque enim per arculam quæ ingreditur arcula, neque per Scripturam quæ sunt in Scriptura, notescent. Audi quam ratione. Cernis arcam parvulam, bene clausam undique, quantumque ex ejus pondere, et exteriori elegantia colligis (aut forsitan etiam ab aliis audivisti) credis thesaurum intus latere: qua etiam sublata, festinanter ambulas. Navra igitur mihi, quid proderit, si obsignatam, et clausam ipsam solam in omni vita circumferas, nec aperias, nec aliquando ibidem repositum thesaurum inspicias? si lapillorum in ea fulgorem, margaritarum claritatem, auri corpusculum splenderem non videas? Quis fructus, si dignus non sis, qui ex his vel paucillum auferas, et inde ad victum vestitumve aliquid commodi perci-

pius; sed arculam quidem obsignatam, magnoque et opulento thesauro refertam, quandiu in vita commoraris, circumferas, ut diximus, tu autem ipse interea fame, siti, nuditate crucieris? Nullus plane opinor. Ista mihi, frater mi, etiam de spiritualibus cogita, et arculæ nomine Christi Evangelium, cæterasque Scripturas intellige, habentes in se conclusam, et signatam vitam æternam, et eam eadem quæ in illa sunt, nullis exprimenda verbis, quæque oculis corporæ non cernuntur bona æterna, secundum Domini vocem: *Scrutamini Scripturas, quoniam in ipsis est vita æterna* ²⁰. Hominem porro, qui arculam in humeros sustulit, pone illum esse, qui Scripturas omnes reddere queat ex memoria, et in ore eas semper habeat. Eas itaque in arcula memoriali animæ, mandata Dei ut pretiosos quosdam lapides continente, in quibus est vita æterna (verba enim Christi lux et vita sunt ut idem ipse ait ²¹, et qui non credit in Filium Dei, non videbit vitam) apportat. Cum mandatis autem virtutes, ut margaritas quasdam, a mandatis enim virtutes, in quibus mysteriorum in littera latentium, et obvelatarum revelatio. Faciendis enim mandatis virtutes exercentur: virtutibus exercendis mandata implentur. Atque ita per hæc nobis janua cognitionis aperitur; imo vero non per hæc, sed per eam qui dixit: *Qui me diligit, mandata mea servabit, et Pater meus diliget eum, et ego manifestabo ei meipsum* ²².

Si ergo habitaverit, et ambulaverit inter nos Deus, et ipse seipsum nobis clare manifestaverit, tunc quæ in arcula, id est, in divinis Scripturis abscondita sunt mysteria, cognoscendo intueantur: aliter fas non est. Nemo erret, quasi ei arcula cognitionis aperta sit, et bonis quæ in ea sunt perfruat; aut eorum sit particeps, eaque aspiciat. Quænam vero, quorumque horum, obsecro? perfectæ charitatis erga Deum, et proximum. Contemptus eorum quæ videntur omnium; mortificationis carnis, et membrorum ejus, quæ sunt super terram, usque ad malam cupiditatem ²³: ut quomodo mortuus penitus nec cogitat, nec sentit aliquid, ita et nos ipsi nullam cogitationem improbæ cupiditatis, aut sensus cum perturbatione conjuncti omnino unquam concipiamus; aut tyrannicæ turbationis malum experiamur, et tantum mandatorum Salvatoris memores simus. Insuper immortalitatis, incorruptionis, æternæ gloriæ, vite sempiternæ, regni cælorum, adoptionis per regenerationem sancti Spiritus, et ut per adoptionem, et gratiam dî fiamus, vocemurque heredes Dei, coheredes autem Christi ²⁴, et una cum his Christi seram possideamus, per quem Deum, et Christum ipsum secundum divinitatem inter nos habitantem, et ambulantem videamus, et cognoscamus. His igitur omnibus, et his majoribus, quæ verbis comprehendendi et explicari nequeunt, mandata Dei audien-

¹⁸ Psal. lxxxviii, 6. ¹⁹ I Cor. ii, 10. ²⁰ Joan. v, 39. ²¹ Joan. vi, 64. ²² Joan. xiv, 31. ²³ Co-

loss. iii, 5. ²⁴ Rom. viii, 17.

tes, eaque custodientes ac facientes, per apertam arcam, de qua locuti sumus, id est, per revelationem intelligibilium oculorum, intuitu in divina Scriptura latentium digni habentur, et iis largiter fruuntur. Cæteri omnia quæ scripta sunt imperite nescientes, eorum dulcedinem vitam æternam complectentem non gustaverunt, soli Scripturarum doctrinæ innitentes, quos ipsa in exitu, magis quam eos qui omnino non audierunt, iudicatura, et condemnatura est. Ex his enim quidam errantes, omnes divinas Scripturas pervertunt, eas secundum pravas ipsorum cupiditates interpretantes, commendare volentes seipsos; quasi nimirum etiam sine accurata mandatorum Christi observatione salutem adepturi sint, virtutem sanctarum litterarum funditus abnegantes. Et merito. Obsignata enim, et clausa, quæ nulli mortalium nec visa nec cognita sunt, a solo autem sancto Spiritu reserata, et ita nobis revelata, factaque spectabilia, et ad cognoscendum exposita, quomodo tandem scire, aut cognoscere, aut saltem aliquantum animo pertractare poterunt, qui adventum sancti Spiritus, illuminationem, illustrationem, inhabitationem in semetipsis nunquam se cognovisse dicunt? Quo pacto talia mysteria assequantur, qui nunquam prorsus sese ab eodem spiritu iterum conflatos, renovatos, immutatos, regeneratos animadvertunt? Quod si nondum in Spiritu sancto baptizati sunt, immutationem in eo baptizatorum quomodo scire possunt? Qui denno nati non sunt, denuo natorum (ut ait Dominus) ex Deo, inquam, et inter filios Dei ascripturam gloriam quomodo videant? Qui hoc sibi contingere noluerunt, sed hanc gloriam neglectum iecerunt, (etenim potestatem acceperant, ut tales fierent) dic mihi, quali cognitione perspicere, aut saltem quoquo modo cogitatione informare poterunt, quales illi appellati sunt?

Spiritus est Deus, qui sub aspectum non venit, immortalis, inaccessus, incomprehensus; et tales efficit, ex se natos, similes patri suo, a quo geniti sunt, corpore solo comprehensibiles, et aspectabiles, cætera soli Deo cognitos, et solum Deum cognoscentes, vel potius a solo Deo cognosci volentes, ad quem et semper respicere, et ab eo respici desiderant. Præterea sicuti expertes litterarum, perinde ut earum gnari libros legere nequeunt: sic neque qui factis per Christi mandata ambulare noluerunt, æque, ut qui ipsis invigilarunt, eaque impleverunt, et pro iis sanguinem suum profuderunt, sancti Spiritus revelatione, sicut illi aliquando dignabuntur. Nam ut homo accepto libro clauso, et signato, in eo scripta videre aut qualia scripta sint, cogitare non potest, quandiu liber clausus et signatus est, quantumvis universam mundi sapientiam didicerit: sic neque qui sacram Scripturam totam in ore habet, ut dicebamus, mysticam, et divinam gloriam, virtutesque in ipsis contactam nosse, et perspicere aliquando poterit, nisi omnia Dei mandata, ea servando quasi peragraverit, et Paraclitum sensa illi, ut libram apertam, quæ-

que in ipsis est gloriam mysticè demonstrantem habuerit. Neque hoc solum, sed etiam in his latentia, et æterna Dei bona, cum ipsa hæc effundente Deitate revelantem: quæ omnibus contemptoribus, et negligentioribus aperta et obscura sunt omnimodis. Nec injuria. Quia enim sensus suos omnes mundi vanitatibus affixerunt, et jucunditatibus vitæ, corporumque pulchritudine afficiuntur, animæ videndi facultatem caliginosam circumferentes, inenarrabilium honorum elegantias, ad quas intelligentia penetratur, intueri nequeunt. Et quomodo cui obtusa est acies oculorum, nec leviter potest puriorem solis radium aspicere, sed si in illum oculos intendat, statim quem habuit aspectum plane amittit: sic nempe qui vitiatos animi oculos, et sensus ipsos motionibus turbulentis obnoxios habet, siue commotione, citraque damnum venustatem elegantiamque corporum contueri nequit? sed et quam ante id tempus cogitationum pacem, et a pravis cupiditatibus tranquillitatem obtinebat, hanc ipsam in meditatione affectus sui commorans amittit. Proinde nec imbecillitatem suam talis ullo modo pernoscere potest. Si enim se totum ægrotare sibi persuasisset, alios quosdam bene valere credidisset, et forsitan aliquando se ipsum incusasset, seque sibi causam morbi esse dixisset, et quæ ad sanitatem recuperandam attinerent, animo reputasset. Nunc hujuscemodi homo omnes arbitrans passionibus deditos, se illis exæquat, et ut ipse solus sit invictus, et omnibus superior, fieri neutiquam posse autumat. Quid hoc? ut una cum improbo affectu suo moriatur miser, ab hoc malo liberari refugiens. Si enim voluisset liberari, potuisset, utpote qui a Deo potestatem acceperat. Quicumque enim in nomine ejus baptismo abluti sumus, præteritam ignobilitatem corruptionis, ut vestimentum vetus exuendi, et Christum superinduendi, ac filios Dei nos appellandi auctoritatem ab eo consecuti sumus. Verum absit, fratres, ut ita affectis, et talia sapientibus captivis, ac terrenis similes evadamus. Contingat autem sequi Christum, qui nostra causa mortuus est, et resurrexit, et nos secum in cælum exaltavit, ejusque vestigiis semper insistere, purgatis per penitentiam a labe peccati, ac superindutis lucidam tunicam incorruptionis spiritus, in ipso Christo Deo nostro, cui gloria, et imperium cum Patre, et sancto Spiritu nunc et semper, et in omnes sæculorum ætates. Amen.

ORATIO XX.

ARGUMENTUM.

De ea quæ certantibus fidelibus e Spiritu inest etiam ante mortem vivifica mors, sive mortificatio: et qui in gratia supra legem jam sunt, eos divini luminis gratiam in seipsis accipere. Quod qui in hac vita adepti nondum sunt, neque id liquido cernunt, eos adhuc sub umbra legis esse, et ab ea iudicaturum iri. Quemadmodum fideles Spiritum sanctum, sanctimoniam, perturbationumque vacuitatem nanciscantur.

Scrutamini Scripturas, inquit Dominus ac Deus

noster Jesus Christus²⁸, ut ante omnia scilicet A
viam salutis doceamur. Deinde etiam in mandatis
ejus citra conversionem peracta via, ad ipsam
animarum nostrarum salutem perveniamus. Quæ
est igitur salus nostra? Jesus Christus, id quod et
angelus pastoribus astans prædicabat: *Ecce evan-
gelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni po-
pulo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est
Christus Dominus, in civitate David*²⁹. Festinemus
igitur unusquisque, dilecti; curramus contente,
nihil oneris, aut ad vitam hanc pertinens, aut por-
tatu grave nobiscum gestantes; ne ob hoc lentius
coacti incedere, civitatem David attingere, atque
ingredi non possimus. Obsecro vos, per operan-
tem in nobis gratiam, ne salutem nostram in mi-
nimis ducamus: sed velut a somno perverse
arrogantiæ, socordiæque expergefati, ne stemus,
nec sedeamus, donec extra hunc mundum toto
animo simus, Salvatoremque ac Dominum nostrum
inventum, et conspectum illic procedentes adore-
mus. Et neque tum stemus, sed donec ille nobis
dicat: *Vos non estis de hoc mundo, sed ego elegi
vos de mundo*³⁰. Quinam autem aliquis eo perve-
niat, ut non sit de hoc mundo? si seipsum mundo
crucifixerit et mundum in seipso, ut Paulus ait:
*Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*³¹. Et
quomodo hæc verba cum illis consentiunt? Verba
quidem, inquit, alia sunt, vis amborum una ea-
demque. Quemadmodum enim qui extra domum
est, intus conclusos non videt; sic mundo cruci-
fixus, aut mortificatus, rerum mundanarum sen-
sum nullum habet. Rursum sicuti corpus mortuum
nec viva, nec secum jacentia corpora mortua sentit
quoquo modo: sic nec qui extra mundum in spi-
ritu Dei est, et cum Deo est, mundo, aut rebus
mundanis affici potest. Atque ita, fratres, et ante
mortem mors, et ante corporum resurrectionem
animarum resurrectio fit opere, virtute, experien-
tia, veritate. Mortali enim cogitatione ab immortali
sensu deleta ac profligata, et mortalitate a vita
effugata, anima tum velut a mortuis excitata, se-
met convenienter videt (ut qui de somno surrexe-
runt, semetipsos conspiciunt) et Deum a quo exci-
tata est agnoscit: quem intelligens, gratias agit,
adorat, et immensam ejus bonitatem dilaudat. At
vero corpus ad proprias cupiditates nullam vel
qualemque inspirationem, aut motionem, aut
cogitationem habet: sed est in his totum mor-
tuum et exanime. Nonnunquam, imo sæpe, etiam
eorum quæ secundum naturam sunt, propter assi-
duam animæ in rebus quæ supra naturam sunt
mentalem occupationem ac studium obliviscitur.
Et recte, inquit enim: *Spiritu ambulate, et deside-
ria carnis non perficietis*³². Caro igitur, ut dictum
est, per adventum Spiritus facta mortua, imper-
turbatos de cætero vos relinquet, et citra impedi-

mentum vivetis: *Ubi enim spiritus Domini est,
inquit, ibi libertas*³³, libertas ex subjectione sub-
legem per omnia. Lex quippe dux viæ, et pedago-
gus, et manuductrix, et magistra justitiæ est, dum
dicit, hoc et hoc facies. Gratia autem et veritas
non ita: sed quomodo? et facies omnia, et loque-
ris secundum datam tibi, et loquentem in te gra-
tiam, sicut scriptum est: *Et erunt omnes docibiles
Dei*³⁴; non per litterarum notas, et signa quod
bonum est discentes, sed in Spiritu sancto id
edocti: nec in verbo solo, sed in lumine Verbi lu-
minis mystice divinis initiati. Tunc enim vobis
ipsis, inquit, et proximis doctores eritis, neque id
solum, sed et lux mundi³⁵, et sal terræ³⁶. Illi
ergo ante gratiam velut sub lege erant, et sub
umbra ejus sedebant. Nos autem post gratiam ut
in lumine, et die constituti, ab umbra seu servi-
tute legis liberati sumus, superiores scilicet illa
facti, quasi per gradus quosdam vitæ evangelicæ
in altitudinem sublati, et cum legislatore viven-
tes, vel potius etiam ipsi legislatores, aut legum
custodes.

Num igitur est, qui habet aures audiendi, ut
eorum quæ a Spiritu dicuntur vim auditione queat
percipere? Num etiam est, qui sensum Christi ha-
beat, ut probe et Deo convenienter intelligat quæ
ab eo scripta sunt? Num etiam invenietur quispiam,
Christum in se ipso loquentem habens, ut bene
possit eloqui, quæ verbis teguntur mysteria?
C *Sapientiam enim loquimur, inquit, non sæculi hu-
jus, quæ evacuatur, sed sapientiam in mysterio, quæ
abscondita est*³⁷ multis, nobis autem probe reve-
lata, et cognita, qui in timore Dei velut ab ele-
mentis instituti sumus, et ad illum semper respi-
ciamus. Non enim quod nescimus loquimur; sed
quod scimus testificamur, quoniam lux in tenebris
jam lucet³⁸, et in nocte, et in die, et intus, et ex-
tra. Intus quidem in cordibus nostris; extra au-
tem in animo circumlustrans nos sine vespera,
sine mutatione, sine varietate, sine figura, loquens,
operans, vivens, et vivificans, et collustrans lu-
mine reddens. Nos testificamur quoniam Deus lux
est, et qui digni sunt habiti, ut eum viderent,
omnes ut lucem viderunt, et qui eum acceperunt,
D ut lucem acceperunt. Quoniam, præcedit ante
illum lumen gloriæ illius, et sine lumine apparere
non potest: quique ejus lumine non viderunt, nec
illum viderunt, quoniam ipse lux est. Et qui lu-
men non acceperunt, nondum gratiam acceperunt.
Quæ namque gratiam acceperunt, lumen Dei et
Deum acceperunt, sicut ipsa lux Christus ait:
*Inhabitabo, et inambulabo in eis*³⁹. Quibus autem
hoc nondum contigit, nec digni sunt habiti, qui id
assequerentur, omnes hi sub lege ante gratiam
censentur, servi, servorumque discipuli. Et au-
ditores legis, circum umbram et typum adhuc

²⁸ Joan. v, 39. ²⁹ Luc. ii, 40, 41. ³⁰ Joan. xv, 49. ³¹ Galat. vi, 14. ³² Galat. v, 16. ³³ II Cor. iii, 17. ³⁴ Joan. vi, 45. ³⁵ Matth. v, 14. ³⁶ ibid. 13. ³⁷ I Cor. ii, 6. ³⁸ Joan. i, 5. ³⁹ Levit. xxvi, 12; II Cor. vi, 16.

oberrantes, filii ancillæ, et filii tenebrarum sunt, sive imperatores, sive patriarchæ, sive episcopi, sive sacerdotes, sive principes, sive subjecti, seu profani, seu monachi, seu ascetæ, seu præpositi, seu pauperes, seu divites, seu ægroti, seu sani sint. Omnes enim, qui in tenebris sedent, et pœnitere nolant, filii tenebrarum numerantur. Pœnitentia siquidem est janna, quæ e tenebris educit, et ad lumen deducit. Qui igitur ad lumen ingressus non est, januam pœnitentiæ non bene pertransiit. Nam si pertransisset, ad lumen venisset. Qui autem non pœnitet, peccat, propterea quia non pœnitet : *Scienti enim bonum, inquit, et non facienti, peccatum est illi* ³⁷. Jam qui facit peccatum, servus est peccati, et odit lucem, et non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus ³⁸. Nunc enim sponte, et nostro ipsorum arbitrato ad lumen per pœnitentiam ingressi redarguimur, et judicamur : sed mystice judicium istuc, et abscondite, in interioro animarum nostrarum cubiculo, ad purgationem, et remissionem peccatorum nostrorum misericordia, et benignitate Dei subimus, solo nimirum Deo res nostras sciente ac intuente. Hoc igitur tam præclaro judicio quisquis hic judicatus fuerit, aliud supplicium aut examen non timebit, nec tentationes sibi superventuras formidabit. Tum vero, hoc est, in adventu Domini, iis qui nunc ad lumen venire, et ab ipso judicari, purgarique nolunt, sed id oderunt, quod modo absconditum est lumen revelabitur, occultaque horum omnia manifestabuntur. Et quales nunc sumus unusquisque nostrum, nos ipsos occultantes, et per pœnitentiam noscra manifestare volentes, tunc a luce manifesti, et aperti Deo et omnibus sumus, et erimus ; et magnitudo pudoris ac dedecoris illic pro spectaculo erit.

Etenim sicut in domo januas intus obseratas habente, si quis e nobis, quasi foris a nemine visus effuse peccet, adulteria scilicet, aut masculorum concubitus, aut alia execranda perpetrans, deinde subito in ipso flagitio deprehendatur, magnam incurrit infamiam ; aut (ut aliud exemplum demus), si quis adversus regem insidias meditetur easque illi scripto exponat, aut si dicat, statuatur nefas aliquod, omnino intra ædes, ut dictum est, latitans, post rex cum toto senatu suo, consuetoque satellio adveniat, et domum cingat, statimque ea tota eversa ipse, et omnia ejus consilia appareant, pœnam magnam damnationemque sustinet ; ad eundem modum tunc omnibus qui in mundo sunt fiet. *Et nox quidem sicut dies illuminabitur* ³⁹, domus autem omnis, et spelunca, et cœlum ipsum ac terra tollentur, omnesque qui Christum non induerunt, seu qui lumen non acceperunt, ut supra dicebamus, et in ipso prius non fuerunt, et lumen non fuerunt, nudi apparebunt,

A omnique ignominia undique replebuntur. Nec istuc tantum, sed et omnis cujuslibet actio seu bona, seu mala, omnis sermo, omnis cogitatio commentatioque ab ipso cujusque ortu videlicet, usque ad ultimum habitum illic collectim in unoquoque hominum apparebit. Et quam, quæso, fratres, ignominiam cum hac, quæ vere sola est ignominia, tunc comparabimus ? aut quæ pœna timore illo pudoreque major, cum, ut dictum est, adeo tenebrosi, et sine illuminante spiritu inventi fuerint ? Qualem porro vitam, quale oblectamentum habebit homo, qui in tenebris sedet, ac metuit, ne repentina lucis illuminatione cogitationis, aut actionis alicujus sordes in ipso reperiantur ?

B Quare studeamus, fratres mei, hinc jam per pœnitentiam portam angustam intrare ⁴⁰, quodque intus est lumen spectare. Etiam, rogo, ne desiziamus pulsando, quærendo, et petendo antequam exaudiamur, et aperiatur, et detur nobis : insuper donec ingressi lumen accipiamus, et illud extinctum in cordibus nostris habeamus. Nolite igitur errare, fratres. Qui in tenebris vivit, extra ostium est. Qui autem se ingressum existimat, et per ostium ingressus non est, etiam ipse extra ovile est. Si enim lux mundi, et ostium est Christus, omnino lucidum ostium est, non ostium simplex. Et qui in eo est, in luce mundi est. Lux autem mundi est, non quam oculorum sensus percipiat, sed quam animus deat, atque contempletur.

C Nam sol hic, quem sensus attingit, tantummodo corporis oculos illuminat hominum, bestiarum, volucrum : at sol qui subintelligentiam cadit, qui mundo illuxit, animas duntaxat ratione præditas, neque has citra discrimen omnes, et indignas etiam illuminare novit. Haud enim inanimus, seu, ut melius dicam, non animal est, nec servus, aut creatura ad aliis ministrandum constituta, sicut nempe iste sol quem cernimus, quique oritur super justos et injustos, probos simul et improbos ⁴¹. Sed quanquam lux, et sol nominatur, tamen et supra lucem, et supra solem, et ut lucis ac solis conditor ac Dominus est, vita, vivificus, veritas, justitia, et sanctificatio ⁴², simplex, ab omni compositione liber, et omne bonum, et melior omni bono. Ut igitur veritas est ac dicitur, vere convertentibus se veritas efficitur. Ut justitia est, omnem injustitiam exorsis justitia est. Ut sanctificatio, elutis ac per lacrymas purgatis. Ut simplex, illis qui nullam perversitatem, aut nequitiam intus gestant in præcordiis. Ut non compositus, nullam duplicitem, aut ambiguitatem, aut incredulitatem animi habentibus. Ut bonus, iis qui spiritualibus pœnitentiæ operibus, ad corpus, aut vitam istam pertinentes curas ac sollicitudines non inducunt, quibus ea miscerant atque confundant ; sed nuda voluntate, et applicatione animi in malo-

³⁷ Jac. iv, 17. ³⁸ Joan. iii, 21. ³⁹ Psal. cxxxvii, 12. ⁴⁰ Matth. vii, 13. ⁴¹ Matth. v, 45. ⁴² I Cor. i, 30.

rum patientia ad eum accedentibus ; quorum sinceritatem approbans, omni bono brevi eos cumulat, et honorum intellectum, cogitationemque vincuntibus, dum illis revelatur, apparetque, statim participes reddit. Si enim bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se⁴³, humani ingenii captum excedunt, et omnia quæ cernuntur bona exsuperant, quanto magis ipse qui hæc præparavit Deus : nec solum ipse, sed etiam qui eum videre, ei assistere, et cum eo versari meruerunt, et ejus divinitatis, gloriæque consortes, ac participes effecti, superiores omnino bonis, ipsis a Deo paratis, utpote Dominum ipsum, qui bona illa præparavit pro hæreditate possidentes evaserunt? Tales autem eos evasisse, et usque nunc evadere, non dico post mortem solum, sed adhuc superstites, tota divinitus inspirata Scriptura docet, omnèque per vitam et mores suos sanctitatem consecuti, testimonium ferunt. Porro sanctorum laus omnis, et beatitudo his duobus constat, orthodoxa fide, et laudabili vita. Item dono sancti Spiritus, et charismatum ejus, duobus enim his hoc tertium copulatur. Nam cum quis vitam bene, et cum amore Dei traduxit, cum sensu orthodoxo, et gratia donatus, atque a Deo per sancti Spiritus donum glorificatus est, comitatur illum laus, et ab omni fidelium Ecclesia, ab omnibusque magistris ejus beatus prædicatur. Fide autem, et operibus perfecte non suppositis, adorandum ac divinum scriptum advenire, et donum ejus accipere quemquam hominum impossibile est ; sicut etiam sanctus Jacobus ait : *Qui t proderit, fratres mei, si quis dicat fidem se habere, opera autem fidei non habeat? num fides eum salvare potest? Quomodo enim corpus sine spiritu mortuum est, sic fides sine operibus mortua est*⁴⁴. Et iterum : *Si frater aut soror nudi sint, et quotidiano victu egeant, dicat autem aliquis vestrum illis, Ite in pace, calefacimini, et saturantini, non dederit autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? sic et fides, nisi opera habeat, mortua est in semetipsa*⁴⁵. Hæc et Joannes apostolus : *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate*⁴⁶. Et : *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suadebimus corda nostra, quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo, facimus*⁴⁷. Et : *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et servemus mandata ejus*⁴⁸. Et : *Qui servat mandata ejus, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc autem cognoscimus, quod in nobis manet, ex Spiritu quem dedit nobis*⁴⁹. Nam si Spiritus sanctus in ho-

minem non venerit, nec in eo habitare cognitus fuerit, alienum est quemvis spirituale appellari. Qui autem spiritualis nondum est, quomodo sanctus erit? qui sanctus nondum est factus, per quemnam alia opera, actionesque beatus evadet? Beatitudo Deus est, cujus qui non est particeps, vel potius quem qui totum in se non habet, quo tandem modo beatus? nullo, ut mihi quidem videtur. Sol sine luce, num dicetur sol? et homo Spiritus sancti expertus, num sanctus dicatur? *Estote sancti*, ait Dominus, *quoniam ego sanctus sum*⁵⁰. Quibus verbis nos explorete cognitos peccatores ad imitationem per opera misericors ille cohortatur ; ac si diceret : *Desistite a rebus improbis, et ad omnem probitatem incumbite, omnè genus virtutis pro viribus vestris consecutemini, et quantum potestis, sancti evadite, si modo communionem mecum habere desideratis. Ego enim sanctus sum, hoc est, purus, incontaminatus, idque natura. Vos autem in mandatis meis exsequendis ab inquinamentis peccatorum abstinete, meique participes gratia Spiritus mei facti, sancti quoque eritis. Hoc enim sibi vult, Estote. Ergo mala fugiendo et bona operando fit sanctus homo : non quasi omnino ex operibus sanctificetur (*Non enim justificabitur ex operibus legis omnis anima*⁵¹), sed quia sancto Deo per hujusmodi actionum frequentationem se adjungit, eumque sibi conciliat. Hoc porro etiam ad eos, qui jam Spiritus gratiam acceperunt, et magis quidem Dominum dicere opinor. Qui præcipere videtur, non fidendum dono, et per desidiam ad vitia et peccata redeundum, et quodammodo his uti verbis. Heus tu spiritualis, ne te otio dedas, qui gratiam sancti Spiritus, et per illam me accepisti. Otium enim generat nequitiam, nequitia omne genus vitiorum procreat. Mandatis igitur quotidie servandis sanctus esto, siquidem me in te, et tecum, et te in me, et mecum esse vis. Nihil enim adeo ex omnibus inconstans et mutabile est, ut mens humana, tum denique consistens, cum fluxis et creatis, et quæ cernuntur omnibus rejectis, tenebras quibus circumfunditur pertransierit.*

Quoniam vero hæc ita se habent, et mens res est semper mobilis, nunquam potius requiescere, eam sollicitam, divinarumque legum studiosam esse oportet, cum alioqui vita omnis humana sollicitudinum et curarum plena sit, et ex re nulla possit quietem capere, quanquam id multi supra vires suas facultatemque contenderunt. Quin ab initio ea conditione conditus est homo. Operari enim et custodire paradisum jussus est Adamus, et dum ad honestatem movemur, natura operamur. Qui itaque, otio et inertie seipsum tradiderunt, quicumque fuerint, alioqui sancti et spirituales, in affectiones naturæ parum consentaneas se præcipiant.

⁴³ I Cor. II, 9. ⁴⁴ Jac. XXXI, 14-26. ⁴⁵ Ibid. 15-17. ⁴⁶ I Joan. III, 18. ⁴⁷ Ibid. 19-22. ⁴⁸ Ibid. 23. ⁴⁹ Ibid. 24. ⁵⁰ Levit. XI, 44. ⁵¹ Galat. II, 16.

Ut enim fons perennem aquam scaturiens, si paulum constiterit, aridus, nec jam fons, sed fovea potius est : ita qui mandatis factitandis semper se purgat, et ex Deo purgatus ac sanctificatus est, si ab executione paulum deflexerit, pro portione etiam a sanctitate deflectit. Qui vero cum uno quodam peccato sciens simul abducitur, totus a puritate excidit ; sicut et vas aquæ plenum modico cæno totum inquinatur. Nec solum peccatum, quod per corpus admittitur, sed alia quoque vitia, quæ intra nos per nos perpetrantur, nec videntur, intelligo, vanam gloriam, hominibus placendi studium, superbiam, fastum, jactantiam, hypocrisin, amorem dominandi, dolum, malignitatem, odium, perfidiam, invidiam, elationem, zelum, sui complacentiam, amorem sui, contentionem, insipientiam, et reliquas omnes passiones ignominie, quæ in anima operantur, a quibus et propheta David liberari desiderans, Deum rogabat in hunc modum : *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. Si mei non dominabuntur, tunc immaculatus ero, et mundabor a delicto maximo*⁵². Et : *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar*⁵³. Et rursus : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*⁵⁴. Et : *Spiritu principali confirma me*⁵⁵. Quæ enim utilitas, fratres, laborum corporalium, si opus interius postponatur ? An non audimus Paulum dicentem : *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia*⁵⁶. Et rursus : *Mundemus nosmet ipsos ab omni inquinamento carnis et spiritus*⁵⁷. Eadem et sanctus Petrus clamat in hæc verba : *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte, sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jesu Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantie vestræ desideriis, sed secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis, et Dominum Jesum sanctificate in cordibus vestris. Idcirco scriptum est : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Et, si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini : scientes quod non corruptilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*⁵⁸. Optemus igitur et nos toto animo, et fixa sit sententia, non decipi, aut ab aliqua corporis, animæve perturbatione inescari, et alligari, ne per unam seu parvam, seu magnam mandati transgressionem via in cælum ferente excidamus. Sed cum ambulaverimus, nec retro respexerimus, festinemus antecedentem nos Jesum prævenire, factique ejus compates, ante eum procidamus, et coram ejus bonitate ploremus⁵⁹, ar-

denterque oremus, uti prorsus a nobis ne separaretur, neve sinat nos abire a via, qui est ipsemet, qui dixit : *Ego sum via, resurrectio et vita*⁶⁰. Hunc ergo exquiramus, hunc prævenire studeamus, ut etiam illum teneamus. Quod si factum fuerit, et ad ejus exemplum vitam nostram instituerimus, non solum cum hinc emigraverimus, sed nunc etiam in cælum cum ipso ascendemus, et una assumemur : imo potius ipse nos secum sustollet, et glorificabit, et donabit felicitate sempiterna perfrui.

ORATIO XXI.

ARGUMENTUM.

Videndum, ecquid beatitudines, de quibus locutus est Christus, in nobis habeamus; eas enim esse indicium signaculi, et proprietates characteris ejus. Qui signo Christi signatus non est, nec characterem illius in se fert, hunc in regnum cælorum introire neutiquam posse.

Quicumque signo Domini ac Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, signati non sumus, curramus ut signemur. Quicumque insigniti non sumus, nota spiritus insigniri properemus. Mors enim in animas primitivorum⁶¹ per sanguinem Christi, et gratiam sanctissimi Spiritus non dominatur : nec lupus qui mente percipitur, sigillum principis pastorum Christi, quo oves suas signare consuevit, contra intueri audeat. Itaque, fratres fideles, divinarumque rerum cupidi, festinemus, agentes et molientes omnia quæ Christo sunt placita, ut ab ipso quoque signati, de cætero sine metu vivamus : quin etiam, ut de manu ejus misericordiam accipiamus, et digni habeamur, qui mysterium Christi cognoscamus. Cognitionem autem intelligo, non quæ verbo duntaxat et auditione traditur : sed quæ in ipso opere et actione elucet. Audi igitur quemadmodum cognitio mysteriorum Dei per opus, et actionem in nobis perspiciatur. Christus Deus noster per Evangelium suum quotidie aperte clamat : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*⁶². Hoc quoties audimus considerare, et nos ipsos diligenter excutere debemus, num revera pauperes istiusmodi simus, ut etiam nostrum sit regnum cælorum ; adeo ut nos id toto possidere animo sentiamus, itaque ejus tenere divitias, ut citra dubitationem nos in eo esse experiamur, et illius bonis atque deliciis oblectemur. Intra nos enim illud esse, ipse Dominus pronuntiavit⁶³. Argumenta porro, quibus id intra nos esse demonstreretur, hæc sunt : Nihil eorum quæ oculis subjiciuntur et percipiunt, concupiscere ; res, inquam et oblectamenta hujus vitæ, non opes, non gloriam, non delicias, non ullam denique aliam vitæ presentis, aut corporis voluptatem : sed ita se his omnibus abstinere, et sic judicio, ac voluntate ab illis abhorreere, ut potes-

⁵² Psal. xviii, 13, 14. ⁵³ Psal. cxviii, 80. ⁵⁴ Psal. l, 12. ⁵⁵ Ibid. 14. ⁵⁶ I Tim. iv, 8. ⁵⁷ II Cor. 7, 1. ⁵⁸ I Petr. 1, 13-19. ⁵⁹ Psal. xciv, 6. ⁶⁰ Joan. ii, 25. ⁶¹ Hebr. xii, 25. ⁶² Matth. v, 3. ⁶³ Luc. xvii, 21.

tate et honore regio præcellentes ab his qui lupanaria obeunt, abhorrent : et quantum qui pura et munda vestimenta induti, et suaveolentibus unguentis perliti sunt, graveolentiam ac lutum avertantur. Qui enim ad unum aliquod nominatorum sese convertit, regnum illud cælorum neque vidit, neque olfecit, neque jucunditatem et dulcedinem ejus degustavit. Deinde : « *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* ⁶⁴. » Videamus nunc iterum, et in nosmet inquiramus, num hunc luctum in nobis habeamus, et quanam sit ista consolatio, quæ luctus hujus comes dicitur. Primum quidem pauperes spiritu beatos affirmavit, utpote quorum sit regnum cælorum. Pauperes autem, ut docuimus, hisce præsentibus plane non capiuntur, neque animum ita cum iis copulant, atque conjungunt, ut vel modica delectatione deliniatur. Quo igitur pacto, et quam ob causam lugebit, qui totum mundum detestatus est, et corde tam longe ab eo abest, quam corpore illi appropinquat? qui nullo rerum spectabilium amore tenetur, quid est, obsecro, cur se tristitiæ, lætitiæve dedat? Et quomodo lugebit, solatiisque mulcebitur, qui regnum cælorum habet, et in eo lætatur assidue?

Attendite mentes, rogo, iis quæ dicam, et quæsitam rationem cum ejus solutione accipietis. Homo fidelis, qui ad mandata Dei exhaurienda sedulo semper incumbit, cum omnia servarit, et ad fastigium horum, id est, ad inculpatam vitam, et puritatem ingressus fuerit, tunc modulo suo se metiens, imbecillum inveniet, quique ad celsitatem illam mandatorum pertingere non possit : sed et pauperem imprimis, sive indignum ad suscipiendum Deum, ad gratias et laudes eidem tribuendas, ut qui nunquam proprium, ac suum aliquod bonum possederit. Hæc qui propter se cum animi sensu reputat, omnino lugebit luctu vere beatissimo, qui et consolatione promissa levatur, et animum mitem efficit : est siquidem pignus regni cælorum ex luctu progeneratum solatium. « *Fides namque, secundum Apostolum, est rerum sperandarum substantia* ⁶⁵. Consolatio porro, quam in animis lugentibus illustratio spiritus conciliat, adventus Dei est, præmium certaminis humilitatem eis donans, quæ et semen, et talentum vocatur. Aucta quippe, et multiplicata in ipsis certantium annuibus, partim tricesimum, partim sexagesimum, partim centesimum Deo fructum fert ⁶⁶, fructum sanctum charismatum, ac donorum Spiritus. Ubi enim non fucate sed vere humilis ac demissus animus, ibi etiam humilitatis fundum. Et ubi humilitas, ibi illuminatio spiritus. Ubi spiritus illuminatio, ibi divini luminis copia, et Deus in sapientia et cognitione mysteriorum ejus. Ubi vero hæc, ibi regnum cælorum, et regni cognitio, et absconditi thesauri scientiæ Dei, in quibus etiam paupertas spiritus patescit. Ubi autem paupertatis

A spiritualis noticia, ibi quoque luctus gaudio mistus. Ibi item jugiter manantes lacrymæ, quæ animam hanc amantem purgent, ac prorsus lucidissimam reddant. Per hæc igitur anima sursum respiciens, et Dominum suum cognoscens reliquas virtutes studiose progignere sibi, et Christo orditur. Nec immerito. Irrigata enim continenter, et pinguescens lacrymis, et iram in se penitus extinguens, mitis totaque ad irascendum immobilis efficitur. Concupiscit autem et appetit, esuriens simul, et sitiens discere justificationes Dei. In his vero et misericors, et alienis incommodis dolens fit : quo ex his omnibus cordis ejus puritas perficiatur, et ipsa Deum videat, ejusque gloriam secundum promissionem clare intueatur. Qui hunc in modum animas suas compararunt, pacifici sunt in veritate, et filii Altissimi nominantur, qui et pure Patrem Dominumque suum agnoscunt, et ex tota anima illum diligunt; quemvis laborem videlicet : et quamvis afflictionem ejus causa sustinentes, injuriis vexati, contumeliis appetiti, angustiati ob justum ejus mandatum, quod et nobis servandum præcepit, exprobrationes, persecutiones, et omne verbum malum falso contra se dictum, propter nomen ejus toleranter sufferentes, exultantes, quoniam digni sunt habiti, qui pro ejus amore ignominia ab hominibus afficerentur ⁶⁷. Animadvertistis, fratres, signaculi Christi expressam effigiem? Agnovistis, fideles, proprietates characteris ejus? Unum profecto signaculum illuminatio Spiritus est, etsi multæ sunt formæ operationum illuminationis hujus, multaque virtutum ejus indicia, quorum primum, et magis necessarium, et tanquam principium ac fundamentum est humilitas : *Ad quem enim respiciam, inquit, nisi super humilem et quietum, et tementem sermones meos* ⁶⁸?

Alter luctus est lacrymarum fons, de quibus cum copiose velim disserere, verbis ad sensum explicanda destitutor. Res mira, et quam lingua non potest effari. Per oculos fluere sentiuntur, et ex anima cœnum peccatorum eluere intelliguntur : et in terram cadentes, dæmones urunt, ac prosterunt, animamque e vinculis peccati inaspectabilibus eximunt. O lacrymæ ex divina illuminatione saturientes, cœlum ipsum reserantes, et divina mihi solatia parientes : iterum quippe et sapius eadem præ suavitate, et desiderio dico. Ubi lacrymarum copia, fratres, cum cognitione vera, ibi etiam divini luminis splendor; ubi luminis hujus splendor, ibi bona suppeditant omnia, et signaculum sancti Spiritus plantatur in corde, unde et omnes vitæ fructus exoriuntur. Hinc Christo mansuetudo producit, pax, eleemosyna, compassio, benignitas, bonitas, fides, continentia. Hinc manat inimicos diligere, et pro illis orare, gaudere intentionibus, gloriari in tribulationibus, alienos lapsus ducere suos, et deslere tanquam proprios,

⁶⁴ Matth. v, 5. ⁶⁵ Hebr. xi, 1. ⁶⁶ Matth. xiii, 8 seqq. ⁶⁷ Act. v, 41. ⁶⁸ Isa. lxxvi, 2.

animam pro fratribus prompte ad mortem offerre. **A** Audite igitur, obsecro, Christiani fratres, et respicite, et videte, num lumen in cordibus vestris illuxerit; num magnum illud lumen cognitionis aspexeritis: num visitaverit vos Oriens ex alto, illuscens vobis in tenebris, et in umbra mortis sedentibus⁶². Deus enim cum nullius egeat, sitque honorum plenus, nihil a nobis præter salutem nostram requirit; qua aliter potiri fas non est, nisi mens nostra divina virtute immutetur, ut sit enthea, id est, Numine afflata, a Deo acta, sive omni perturbatione carens, et sancta. Mens enim enthea est, quæ Deum in se habet. Talis autem a semetipsa fieri haud potest. Jam qui Deo per fidem conjunctus est, perque mandatorum observationem illum novit, eum quoque per contemplationem **B**cernere omnino dignus est. Per fidem siquidem certam Christus in eo habitat, et mens enthea sit. Servatur porro enthea ex eo, quod res ad Christum pertinentes semper exerceat, et legibus ejus attendit. Inde fit, ut etiam mandata ejus custodiat, quemadmodum ex eo quod mentem divinitus afflatam habet, efficitur, ut mandata Christi et cogitet, et exsequatur: singula enim et cohibent, completanturque quod proximum est, et cohibentur ab ipso, continenturque et continent. Contendamus itaque Dei præceptis facessendis (per quod divinum lumen amplius apparere, et amplificari consuevit) divinam ignem in nobis abundantius alere. Ut enim apud nos ignis sub sensum cadens in **C**ligno conspicitur, et scintillula, si materiam comprehenderit, magnam facem incendit, appositoque nutrimento flammam ingentem suscitatur: sic se habet ignis ille spiritualis, in his quæ soli intelligentiæ patent. Quod igitur lignum est igni corporato, hoc anima rationis compos habens mandata, igni Divinitatis. Non enim secundum seipsam Divinitas perspicitur, si in id, quod est rationis et consilii particeps, non incidit. Sicut autem se habet ignis hic noster in his, ad quæ sensus pertingit: ita ignis intelligibilis in his quæ ad intelligentiam spectant. Et quomodo ignis sensibilis non videtur, nisi in materia fuerit excitatus: ita neque intelligibilis in intelligibilibus, nisi in materia sacrorum mandatorum, quasi in lignis existit: **D***Qui diligit me, inquit Dominus, mandata mea servabit, et ego diligam eum, et manifestabo ei mysterium*⁷⁰. Ignis quem sensu percipimus, antequam excipiet, latet in sensibilibus: et absditum est divinum lumen, priusquam eluceat, in his quæ intelligentiæ sunt. Ignis principium non comprehenditur, estque occultum in sensibilibus: et intellectualis ignis principium, est occultum in rebus ad intelligentiam spectantibus. Verum sensibilis ignis sensibilibus substantia similis est: intelligibilis autem ignis intelligibilibus substantia dissimilis est, quia opifex cum opificio suo idem non est.

A Multo igitur ignis intelligibilis in ipsis intelligibilibus occultior, et arcanus magis, quam sensibilis in sensibilibus.

Proinde inspiciamus, fratres, subtiliterque nosmet perscrutemur, et pernosecamus animos nostros, num in nobis Christi signaculum sit. Discamus an in nobis sit Christus, ex indicibus et signis, quæ protulimus. Quod si Christum, aut ejus signaculum necdum accepimus, diuturnaque signa in nobis ipsis haud agnoscimus: quin contra potius, mundus fallax in vobis vivit, nosque in ipso infelices vivimus, temporaria magni ducentes, et in tribulationes incidimus, et propter ignominias, ac detrimenta cruciamur, honoribus ide verso, divitiis, deliciis gaudemus et exultamus, pro **B**damnum, pro ignorantiam, pro cæcitatem, pro miseriam, stuporemque nostrum, a quibus subacti, in terram proculcamur. Sane miserabiles, longaque infelicissimi, atque ab ipsa æterna vita et a regno colorum extranei sumus, non amplius in nobis ipsis Christum possidentes, sed mundum in nobismetipsis viventem habentes, utpote in ipso viventes, et terrena sapientes. Qui ita est animatus, inimicus Dei apertus est. Nam affectio erga mundum, inimica est Deo⁷¹, juxta illud Apostoli: *Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt*⁷². Quia nemo potest Deo servire, et secundum hominem vivere. Vere nihil melius, fratres, in mundo, quam nihil habere mundi, neque ultra ea quæ corpori necessaria sunt, desiderare quidquam. Necessitas autem ista, si rationem audiamus, est panis et aqua, vestimentum et tegumentum, secundum divinum Apostolum, *habentes victum et vestitum, his contenti erimus*⁷³. Quod si realiqua insuper egebimus, ipse pro certo præbebit nobis credentibus et sperantibus, qui majora largitus est, *et implet omne animal benedictione*⁷⁴, modo cætera omnia hujus fluxæ et caduæ vitæ relinquamus; puta vanam gloriam, invidiam: contentionem mutuan, dolorem, murmurationem, rixas, mendacium, perjurium, injustitiam avaritiam, contumeliam, calumniam, maledictum, concertationem, ebrectationem, criminationem, superbiam, hominum odium, improbitatem, cæteraque **D**universa, quæ diabolus genus humanum docuit. Propter hæc enim non diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt, jussi sumus. Non ut evasuras Dei sine ullo discrimine odio persequamur: sed ut malorum occasiones præcidamus, Propter hæc itaque mundum, et omnia a Deo avertentia, et ad periculum animæ deducentia fugiamus censeo. Etenim quis gloriæ et honoris humani avidus, extremum vilissimumque omnium se unquam reputabit, et humilis spiritu, aut corde contritus fiet, aut legere unquam, omnino poterit? Quisitem amans divitiis, pecuniarumque et possessionum cupiditate pessumodatus, ad aliis tribuendum

⁶² Luc. 1, 78, 79. ⁷⁰ Joan. xiv, 21. ⁷¹ Jac. iv, 4. ⁷² I Joan. ii, 15. ⁷³ I Tim. vi, 8. ⁷⁴ Psal. cxliv, 15.

misericors, et aliena mala dolens, et non potius A
omni fera immitior atque crudelior invenietur?
Quis vanæ gloriæ mancipium, et arrogantia obses-
sus, aliquando ab invidentia, et obtreptione dis-
cedet? Qui autem ad corporis etiam voluptates
perfruendas sese demiserit, et in cœno libidinum
volutatur, quando tandem mundus corde evadet, aut
quando, et quomodo Deum fabricatorem suum videbit?

Jam pacificus quo pacto futurus est, qui se-
ipsum alienavit a Deo, nec dicentem audit: *Pro*
Christo legatione fungimur, tanquam Deo per vos
*exhortante, reconciliamini Deo*¹⁶. Quisquis enim
per mandatorum violationem cum Deo bellum ge-
rit, etiamsi omnes inter se pacificaverit, Dei
hostis est: siquidem nec ut ipsi, inter quos pa-
cem conciliat, Deo placeant, id facit. Nam cum B
ipse primus sit inimicus sui ac Dei, inimici Dei
fiunt etiam hi, qui per tales pacem amplectuntur.
Prorsus enim qui adversus quempiam hostilem
gerit animum, quæ hosti videntur et placent, cæ-
teris ex animo suadere, et docere eos facere, quæ
ille vult, nescit, utpote alia via, et illius voluntati
contraria incedens. Itaque, dilecti fratres, oderi-
mus mundum, et ea quæ in mundo sunt. Quid
namque nobis cum mundo, et cum iis qui in
mundo vivunt hominibus? Desideremus contra
medullitus, quæ Deus amplecti nos jubet, pauper-
tatem spiritus, quam divinus sermo humilitatem
nominat: luctum perpetuum die ac nocte, ex quo
tanquam e fonte gaudium animæ, et consolatio
Deum diligentibus in horas profluit. Ex hoc om-
nibus in veritate certantibus mansuetudo etiam
feliciter procedit, justitiam esurientibus ac sitien-
tibus, semperque regnum Dei, quod omnem hu-
manum sensum exsuperat, quærentibus. Neque
hoc tantum, sed et quempiam misericordem fieri,
et mundo corde, plenum pacis, et pacificum, con-
traque tentationes animosum ac virilem hinc est,
ex quotidiano luctu videlicet. Hinc item peccato-
rum odium in nobis nascitur. Hinc divinus in
anima zelus accenditur, qui nullo modo eam qui-
escere, aut cum improbis ad improbitatem decli-
nare patitur: sed eam virilitate ac viriute im-
plet, quo in rebus adversis usque ad finem perse-
veret. Curramus, persequamur, donec quippiam C
stantibus, ac minime fluentibus comprehendamus.
Præsentia cuncta percunt, et ut somnia præte-
reunt, nihilque inter ea quæ oculis aspicimus, fir-
mum est, ac stabile. Sol, astra, cœlum, et terra,
omnia transeunt; solus ex omnibus homo manet.
Quid ergo ex aspectabilibus universis prodesse nobis
poterit, cum moriendi necessitas advenerit? cum
hinc ad illam illius sæculi requiem abibimus, et
sugacia ista post nos relinquemus? Quod si hæc
visibilia nondum transibunt, quid lucri inde
nobis, ex hoc sæculo morte digressis, et hic
exanimi relicto corpore? Ex quo enim anima
corpus suum deseruerit, nec videre amplius potest

per id, nec videri ab alio: sed exinde solis invi-
sibilibus afficitur, nullusque ei harum quæ apud
nos sunt rerum sensus, aut cura superat, cum
illic duplicem vitam, et geminum certamen habeat,
aut regni cœlestis, et æternæ gloriæ; aut ge-
hennæ, ac pœnæ ignis. Alterum quippe horum ad
hæreditatem sempiternam pro meritis a Deo reci-
pit. Quocirca ob hæc fallaciam hujus vitæ, et quæ
putatur, ejus lætitiæ fugiamus, et ad solum
Christum animarum Salvatorem accurramus, quæso.
Hunc invenire studeamus, qui ubique præsens
adest, et inventum teneamus, prostratique pedibus
ejus, eos fervide amplectamur. Eia obsecro, stu-
deamus dum supersumus ipsum videre et contem-
plari. Si enim digni habebimur, qui eum hic
sensu vigenti videamus, non moriemur, mors
nostri non dominabitur¹⁷. Ne exspectemus ut in
futuro eum videamus, sed nunc eum videre anni-
tamur, cum et Joannes Theologus ita dicat:
Scimus autem, quoniam Deum habemus in cordibus
*nostris, ex Spiritu, quem ab ipso accepimus*¹⁸.
Quicumque igitur fidem in ipsum ex operibus
infractam ac stabilem ostendistis, quæ a nobis a
principio dicta sunt accurate, beneque dijudican-
tes, cavete, ne dum putatis vos Christum in vo-
bismet habere, non animadvertatis vos nihil
habere, vacuisque manibus e vita subducamini,
et audiatis (quod Deus avertat) vocem illam hor-
ribilem: *Tollite quod servus nequam videtur ha-*
*bere, et date plus habenti*¹⁹. Tunc in omnem
C æternitatem plorabitis, et lugebitis, et tristabimini.

ORATIO XXII.

ARGUMENTUM.

*Quid sibi velit illud: « Qui crediderit, et baptiza-
tus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit,
condemnabitur*²⁰. » Quæ sint charitatis erga
Deum, et proximum argumenta. De perfecta, et
consummata charitate, ejusque efficientia. Nisi
hic charitatis, et sanctissimi Spiritus participes
fieri laboremus, non posse nec fideles, nec Chri-
stianos esse, nec filios Dei appellari: sed potius
pro infidelibus in die judicii condemnatum iri.

Dominus ac Deus noster Jesus Christus, germa-
nus Dei Patris Filius, ejusdem cum illo substan-
tiæ, naturæ, gloriæ, sedens in eodem throno, et
throni socius, in Patre manens, sicut et Pater in
ipso, ad miseriam, afflictionemque nostram, quin
etiam ad servitutem, quam per peccatum ab ini-
mico seducti, eidem inimico serviebamus, cum
respexisset, benignitate sua quanta dici non potest
nos miseratus, volensque e servitute, et seductione
turpissima eripere, totus inde descendit paternum
sinum haud relinquens, ut ipse novit, et existens
in terra, in tenebris, et in umbra mortis sedenti-
bus apparuit²¹, de Spiritu sancto, et sancta
semper Virgine Maria humanis artibus contactus
videlicet. Cumque ambulasset, et cum hominibus
nobis ac peccatoribus conversatus esset, ac divi-
nam vivendi rationem, modumque nobis demon-

¹⁶ II Cor. v, 20. ¹⁷ Rom. vi, 8 seqq. ¹⁸ Joan. i, 13. ¹⁹ Luc. xix, 24 seqq. ²⁰ Marc. xvi, 16. ²¹ Isa. ix, 2.

strasset, præceptaque salutaria sanctis discipulis suis edidisset, rursus ad patrem suum eum gloria ascendit, dato iisdem mandato, nempe hoc : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia.* Non hoc aut illud servare, sed omnia, quæcunque mandavi vobis⁶⁰. Quoniam autem dixit, *Omnia*, nihil prætermisit, quod non servare jussit. Quid amplius? *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvabitur : qui autem non crediderit, condemnabitur.* Num igitur, fratres charissimi, quid hoc sit nostis, quod ait : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit*; deinde iterum : *Qui non crediderit*? Arbitror enim quod dictum est planum esse, ac facile ad intelligendum. Habet tamen alicubi sensus profunde latentes. Fidem hic dicit, non hanc solam, Christum esse Deum, sed illam maxime, quæ omnia de sanctis mandatis ejus dicta complectitur, quæque in se omnia divina ejus mandata continet, et credit, nihil in illis, usque ad ultimam apicem otiosum : sed omnia usque ad unum iota vitam, et vitam sempiternam conciliare. Itaque si quis credit, ita se illa habere, et per sacrum baptismum ad hæc omnia servanda, ac sine præmissione facienda descriptus est, salvabitur. Qui vere sermones ejus etiam usque ad unum apicem, aut unum iota, ut dictum est, non crediderit, non secus, quam si totum negavisset, damnabitur. Et merito. Qui enim in magnis ei credidit, nimirum, quod Deus cum esset, sine im-
C mutatione factus sit homo ; quod in crucem actus ; quod mortuus, quod ab inferis redierit ; quod redivivus clausa janua ingressus, discipulis suis in conspectum se dederit ; quod in cælum profectus, ad dextram Dei Patris sedeat ; quod venturus judicare vivos et mortuos, et unicuique secundum opera sua redditurus : restitutus videlicet in vitam prius nobis omnibus Adami posteris, usque ad ultimum illum diem nascituris, qui in his, inquam, ei credidit, dicenti autem : *Amen dico vobis, quia etiam de verbo otioso reddent homines rationem in die judicii*⁶¹, qui istuc, inquam, ei non credit, qui tandem fidelis erit, interque fideles numerabitur ? Qui ergo in venerandis illis, mentemque et humanam omnem cogitationem
D excedentibus Christo credit, factisque, et faciendis ab ipso Domino nostro Jesu Christo obtemperantem, et consentientem gerit animum, non credit autem illi, cum ab eo audit : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*⁶². Et : *Qui diligit patrem, et matrem, et fratres, et sorores, et uxorem, et filios, adhuc autem et animam suam plus quam me, non potest meus esse discipulus*⁶³. Et : *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*⁶⁴. Quomodo hic fidelis, et non

magis ut infidelis, aut etiam infideli de'erior judicabitur ; quoniam in majoribus quidem confitetur se Christo credere, in minimis autem ipsam, universorum Deum, ac Dominum contemnit : et profitens se in aliis credere ut Deo, æque ut culpam plebeio, ac vulgari fidem denegat, dicenti, etiam de verbo otioso homines rationem reddituros in die judicii : patatque se ridentem, obsecraque, et inania garricentem salvari posse, cum ille miseros affirmet, qui rident, beatos autem qui lugent⁶⁵. Quinimo qui se non abnegat etiam, neque crucem bajulat, in omnium tentationum impetu usque ad mortem alacriter sustinendo, quomodo sua causa crucifixum sequi se existimat ? Et qui plus illo parentes, cognatosque diligit, quomodo se Christi dignum discipulum ex animo reputat ? Et qui non abnegant animam suam, sed seipsos amant potius, suisque voluntatibus, magis quam Dei obsequuntur, frustra se ejus discipulos esse confidunt. Et qui in horas non unum, et minimum mandatorum, sed multa, et præcipua solvant, nihil omnino, illicitum se committere, committere autem ? imo sic constituti magnos se in regno cælorum fore arbitrantur. Et quod caput malorum est omnium, omnino ne mandata quidem se his modis violare autumant, et nos atrocium, veritatis suscipientes, ad idem sentiendum inducere stolide conantur.

Duo enim sunt mali generis, unum, cum quis in multitudinem peccatorum delapsus salutem suam desperat ; alterum, cum malum loco boni habet, certoque sibi persuadet, se mala perpetrando benefacere. Ac prior quidem, si de pœnitentia, et benignitate Dei doctus didicerit, nullam esse peccatorum tantam multitudinem, quam pœnitentia non deleat ; *Et ubi abundavit delictum, ibi et superabundasse gratiam*⁶⁶ ; item illud : *Caudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente*⁶⁷, forsitan se colligens, et compunctus, concupiscet aliquando peccatis liberari, ac pœnitentiam ferventer amplexus exsurget, intolerandoque conscientie onere levabitur. Alter revocatu difficilior, prorsus medicamentis hujusmodi curari recusat. Qui enim curationem admittat, qui penitus ne in morbo quidem se esse, aut lapsum jacere credit ? Neutiquam profecto. Nemo igitur vos seducat, fratres. Omnia quippe quæ Christus Deus apostolis præcepit, nos quoque similiter servare jussit : quæ quidem in hoc mundo servare possumus. Sed id plane deliberatum nobis non est, quia fide charitateque in Christum infirmi sumus. Et hoc verum esse testantur omnes, qui ante legem, et in lege, et post Salvatoris adventum cum liberis et conjugibus, et omnium ad vitam requisitorum curis, ac sollicitudinibus Deo placuerunt, cum se voluntate et affectu, quo illis inhaerebant,

⁶⁰ Matth. xxviii, 18, 19. ⁶¹ Matth. xii, 36. ⁶² Matth. xvi, 24. ⁶³ Matth. x, 37. ⁶⁴ Matth. v, 19.
⁶⁵ Luc. vi, 25. ⁶⁶ Rom. v, 20. ⁶⁷ Luc. xv, 9.

separassent, iis qui in montibus et speluncis A ambulare cœperunt, ad unam metam debent cur-
vixerunt illustriores, fide et moribus per charita-
tem erga Deum conspicui. *Primum enim et magnum*
mandatum est, diligere Deum ex toto corde, et ex
*tota anima, et ex totis viribus, et ex tota mente*⁸⁸,
ut ipse Dominus et antiqua lex ait. Alterum, *dili-*
*gere proximum, ut seipsum*⁸⁹. Notæ autem, et pro-
bationes Deum amantis sunt, observare mandata
Christi, et pro eo usque ad mortem dura per-
peti : *Qui habet, inquit, mandata mea, et servat ea,*
*iste est qui diligit me*⁹⁰. Et Apostolus : *Quis nos*
separabit a charitate Christi? tribulatio, an angus-
tia, an persecutio, an fames, an nuditas, an peri-
culum, an gladius? sicut scriptum est, quoniam
propter te (id est, justum mandatum tuum), *morti-*
ficamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisio-
*nis*⁹¹. Qui enim universas vite hujus cogitationes
transcendentes, nihil aliud, quam solam Dei vo-
luntatem cogitant, ut ad perfectam Christi chari-
tatem pervenire possint, quotidie moriuntur. Hoc
item beatus Paulus desiderans dicebat : *Persequor,*
si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus
*sum a Christo*⁹², hoc est, ut diligam, in quo et
dilectus sum a Christo, consummatam charita-
tem per hujusmodi verba indicans.

Documentum porro non diligentis Deum, et Chri-
stum ejus, est mandatis illius non parere, quod
ipse Dominus testificatur, cum ait, *Qui non diligit*
*me, sermones meos non servat*⁹³. Proinde et nobis,
fratres, una communis via esto, mandata scilicet C
Christi, quæ nos ad cœlum, ac Deum perducant.
Quamquam enim sacra Scriptura diversas vias
præscribit, non tamen penitus secundum naturam
suam; verum ad facultatem, consilium atque scop-
pum cujusque in multa figurari dicitur, quando ex
multis, et diversis operibus actionibusque inci-
plentes, quasi ex locis diversis, multisque urbibus
singuli abiremus, in unum diversorium, nempe in
regnum cœlorum studemus devenire. Actiones au-
tem, et spirituales divinorum virorum viæ virtutes
intelligendæ sunt. Omnis enim virtus Dei manda-
tum est. Cæterum aliud mandati, aliud virtutis
actio est, tametsi honorum occasiones ex se mutuo
accipiant. Actio mandati est, facere quod justum
est; virtutis, ut quod sit, veritati placeat. Est enim
qui mandato obtemperat, et aperte vitioso affectui
servit, et pravis cogitationibus bonam actionem
obscurat, ac perimit. Qui igitur in mandatis Christi

A ambulare cœperunt, ad unam metam debent cur-
rere, ut ex diversis regionibus et locis in unam ur-
bem (regnum cœlorum puta), ut supra diximus,
convenient, et digni habebuntur, qui una cum
Christo regnent. Urbem hic unam mihi, non mol-
tas, sanctam, et individuam virtutum trinitatem
intelligito : vel potius primam reliquarum, quam
et ultimam dicunt, ut finem bonorum et majorem
omnibus, charitatem, inquam, ex qua, et in qua
fides omnis fundata, et spes ædificata est, ac sine
hac nihil eorum quæ sunt, constructum, atque
constitutum est, nec constituetur omnino. Etenim
virtutes omnes sine hac marcidæ, et inutiles cen-
sentur. Et qui charitate destituuntur, quamvis in-
terim nulla virtute careant, divina gloria nudi in
die judicii inventientur. Corpus siquidem absque
capite mortuum, ac spiritu vacuum est. Multa
porro charitatis nomina, multæ actiones, multa
indicia, proprietates divinæ et plurimæ, natura
una, et æqualiter omnibus prorsus ineffabilis, ange-
lisque et hominibus, et omni alii creaturæ (7) (quæ
forte ignoratur a nobis), ratione incomprehensibi-
lis, gloria inaccessa, consilio non investigabilis,
æterna, quia et sine tempore, sub aspectum non
cadens, et quæ intelligitur quidem, non tamen
comprehenditur. Multa hujus non manufactæ, et
sanctæ Sionis decora et elegantia, quam qui in-
tueri cœpit, de cæteris spectaculis sensum moven-
tibus non delectatur; non amplius gloriæ mundi
hujus adheret.

O desideratissima charitas, beatus qui te com-
plexus est, quoniam post hanc terrenam pulchritu-
dinem turbido agitato affectu non amplexabitur.
Beatus qui ex amore Dei tibi est implicatus : totum
quippe mundum abnegabit, et cum homine quo-
cunque familiariter versans, nequaquam inquinabi-
tur. Beatus qui venustates tuas exosculatus est, et
infinita tui cupidine in te delicias suas habuit : nam
aqua et sanguine ex te puriter distillante, secundum
animam sanctificabitur. Beatus qui te cupido at-
traxit, quia pulchra immutatione immutabitur,
spirituque et animo letabitur, quoniam tu es gau-
dium inexplicabile. Beatus qui te acquisivit, quo-
niam thesauros mundi pro nihilo reputabit. Tu
enim revera inexhausta es opulentia. Beatus, ac ter
beatus, quem tu assumpsisti. Erit enim in abje-
ctione quæ cernitur, omnibus gloriosis gloriosior,
et honoratis omnibus honoratior, atque augustior.

⁸⁸ Matth. xxii, 37, 38. ⁸⁹ Ibid. 39. ⁹⁰ Joan. xiv, 21. ⁹¹ Rom. viii, 35, 36. ⁹² Philipp. iii, 12.
⁹³ Joan. xiv, 23.

(7) Videtur Symeon dubitare, num præter ange-
licam et humanam creaturam sit alia intellectu
prædita. Sed pro certo statuendum est non esse
aliam; unde enim quis divinæ aliam esse, cum nec
Scripturæ, nec conciliorum, nec Patrum auctoritas,
nec ratio aut experientia quidquam de ea tradat?
Imo in cap. *Firmiter*, extra. *Voy. De sacm. Trinit.*
et fide catholica dicitur *Deus creator omnium visi-*
bilium et invisibilium, spiritualium et corporalium,

qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis
utramque de nihilo condiderit, creaturam spiritualem
et corporalem; angelicam videlicet et mundanam, ac
deinde humanam, quasi communem ex spiritu et
corpore constitutam. Ubi nulla alia creatura vere
spiritualis agnoscitur præter angelicam; et nulla
partim spiritualis, partim corporalis præter hu-
manam.

Laudabilis qui te quærit, laudabilior qui te invenit. Beatior qui susceptus est a te, qui doctus abs te, qui habitavit in te, qui per alimentum tuum Christum immortalem nutritus est. O divina charitas, ubi Christum contines? ubi eum abscondis? Cur arrepto Salvatore mundi longe a nobis recessisti? Aperi etiam nobis indignis ostiolum tuum, ut et nos eum videamus, Christum, inquam, propter nos passum, et credamus misericordiae illius, ut eo conspecto ne amplius moriamur. Aperi nobis, quæ facta es ejus janua, ut in carne appareret, quæ larga, et quæ cogi non poterant viscera Domini nostri, peccata et infirmitates omnium portare coegisti. Ne abjicias nos, dicens: *Non novi vos*⁹². Esto nobiscum, ut noveris nos; etenim tibi incogniti sumus. Habita in nobis, ut propter te Dominus, cum illi occurreris, nos quoque humiles visitet (nos quippe simul et semel indigni sumus) ut maceat, paululum tecum colloquens, et sinat etiam nos peccatores ad immaculatos ejus pedes proci dere: et loquere pro nobis bona, rogaque ut peccatorum debita nobis remittantur: ut ipsi per te rursus digni simus, qui Domino serviamus, et is alimenta nobis provideat. Nam nihil quidem debere, fame autem ex mendicitate emori, poenæ par supplicium importat. Per te, sancta charitas, veniam consequamur. Per te bonis Domini nostri perfruamur, quorum suavitatem, nisi per te nemo gustabit. Qui enim te non, ut oportuit, dilexit, et abs te non est dilectus ut debuit, currit quidem fortasse, sed non comprehendit. Omnis autem qui currit, ante confectam curriculum de palma incertus est⁹³. Ast qui te comprehendit, aut abs te comprehensus est, omnino certus est, quandoquidem finis legis tu es. Tu enim prophetarum magistra, apostolici cursus socia, martyrum virtus, Patrum et doctorum inspiratio.

Curramus igitur et nos, fratres, quantum possumus eamque cum fide et observatione omnium Christi mandatorum consecremur. Qui namque hanc comprehendere mernerunt, spe sua nequaquam aliquando exciderunt. Evitamur vero, sicut per omnia, ita etiam per mutuam charitatem Deum colere. Omne siquidem studium, omnisque exercitatio cum multis conjuncta laboribus, quæ non in charitatem cum spiritu contrito tendit, inanis est, et in nihil fructuosum desinit. Discipuli enim Christi ex dilectione mutua, tanquam tessera cognoscuntur: nec potest quispiam in alia quapiam virtute, aut observatione Dominici mandati discipulus Christi agnoscere: *In hac, inquit, cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*⁹⁴. Quod idem et B. Paulus indicat, in quo

A ipse Christus loquebatur. Quinque enim excellentia dona complexus, et citra charitatem inutilia, et periculosa esse docet, linguarum, prophetiarum, fidei, eleemosynæ, et martyrii: *Si linguis hominum, et angelorum loquar, inquit, si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: si habuero omnem fidem, ut montes transferam: si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*⁹⁵. Qui autem vere ea præditus sit, ex operibus manifeste declarans, ait: *Charitas pateriens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit*⁹⁶. Propter hæc et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Propter quam homo factus Dei Filius, omnes vitiosos cruciatus sponte ac libens pertulit, ut plasma suum, humanam naturam in multas partes a diabolo dissectum ac diremptum, per fidem rectam et charitatem spiritualem in unum congregaret, et a vinculis inferni liberatum recuperatumque in cælum subveheret. Propter hæc et apostoli irrequietum illum cursum cucurrerunt, et cum totum mundum reti ac sagena verbi conclusissent, e profundo idolomanie ad littus regni cælorum incolumem extraxerunt. Propter hæc Christi martyres, ne Christum amitterent, sanguinem suum profuderunt. Propter hæc divini Patres nostri, et orbis terrarum magistri animas suas pro catholica et apostolica Ecclesia non invini abjecerunt. Propter charitatem sancti omnes usque ad sanguinem peccato restiterunt, nullam rationem presentis vitæ ducentes, et varia mortis genera sustinuerunt, ut a mundo ad seipsos, et ad Deum colligerentur, et naturæ verba in seipsis unirent (8). Hæc est enim vera, et inculpata Dei sapientia, cujus finis illud bonum est, et veritas: siquidem bonum humanitas, et veritas amor Dei secundum fidem; argumenta charitatis, Deo homines, et illos inter se copulantis, et idcirco stabilem bonorum permansionem habentis. Hæc est, ostium et via, quam Dei Verbum seipsum appellavit, et in ea procedentes, Deo et Patri puros ab omni concitata, et sinistra motione exhibet.

Vidi ego hominem, fratres, qui diligens in eo studium poneret, variosque modos experiretur, ut fratrum, quibuscum familiariter vivebat, hunc quidem sermone, alium muneribus, alium alia quadam occasione a vitiosis actionibus et cogitationibus abduceret. Et vidi talem nunc quidem flentem hu-

⁹² Matth. xxv, 12. ⁹³ I Cor. iv, 24, 25. ⁹⁴ Joan. xiii, 35. ⁹⁵ I Cor. xiii, 1-3. ⁹⁶ Ibid. 4-8.

(8) Græce καὶ τὰ τῆς φύσεως ἐφ' ἐαυτῶν ἐνώσων ῥήματα, per ῥήματα φύσεως videtur intelligere

leges et decreta naturæ. seu appetitiones naturales. Ista enim sunt, quasi verba et voces naturæ.

jus, nunc lamentantem illius causa : aliquando et A faciem suam, et pectus verberantem propter alium, qui verbo, aut opere offenderat; suscipientem ejus personam videlicet, et se illum ipsum, qui deliquerat reputantem, ac Deo confitentem, et illi procumbentem suppliciter, lugentemque vehementer. Vidi alium super certantibus et vincuntibus tantopere gaudentem, illorumque in virtute progressus approbantem, ut appareret, ipsum illum potius, quam eos virtutum laborumque præmia acceptorum. Propter eos autem, qui verbo, aut opere delinquerent, et in peccatis perseverarent, adeo tristem ac gemebundum, ut ipsum solum revera pro iis omnibus rationem reposcendum, et pœnis tradendum existimares. Et vidi alium salutis fratrum suorum tanto flagrantem desiderio, ut sæpe B calentibus lacrymis, toto pectore, divinoque, et Mosaico zelo benignum Deum oraret, aut illis salutem dari, aut se quoque cum ipsis condemnari. Sancta enim charitate in sancto Spiritu spiritualiter iis colligatus, ne in ipsum quidem regnum cœlorum intrare, et ab eis sejungi volebat.

O sanctum vinculum, o vis inenarrabilis, o cœlestia cogitans, vel potius divino afflatu conceitata, atque in Dei proximique charitate egregie perfecta anima ! Qui igitur ad hanc charitatem nondum pervenit, nec vestigium ejus in anima sua vidit, nec ejus præsentiam ulla ex parte sensit, adhuc in terra et terrenis, imo sub terra instar talpæ jacet, cæcus nimirum, ut illa bestiola, et solo sensu aurium in C terra loquentes auscultans. O calamitatem, quoniam ex Deo nati, et immortalitate donati, vocationis cœlestis participes, et hæredes Dei, cohæredes autem Christi, et cives cœlorum facti, nondum tantorum bonorum sensum hausimus : sed sine sensu, ut ita dicam, sicut ferrum in ignem mittitur, aut ut inanima pellis colore purpureo imbuatur, nec sentit : ita et nos adhuc in tam multis Dei bonis manemus et versamur, nos in illis nullo affici sensu contentes, et ut jam salvati, sanctisque ascripti efferimur, et velut schemate in theatro obvelati, sanctimoniam ut histriones simulamus, vitam miseram ducentes ; mimisque et scortis similes, quæ naturali carentes pulchritudine, facis infricandis, et exoticis pigmentis seipsas stulte ornare creduntur. At non sanctorum denuo natorum characteres hujusmodi. Sciendum autem, quomodo infans utero materno egressus, cum ærem hunc non sentiens sentit, statim ad fletum et vagitum nullius impulsu movetur : sic et qui denuo natus est, et e mundo hoc, ut ex utero tenebroso prodiit, et in cœleste lumen, quod mente cernitur ingrediens, paulum in illud quasi prospexit, mox incredibili gaudio repletur, et sine dolore lacrymas profundit, cogitans ut consentaneum est, qualibus e tenebris liberatus, in quali luce versari dignus sit existimatus. Nam qui e tenebris eximitur, hic

solus eorum miseriam, quibus illæ dominantur, præclare cognoscit. Principium itaque in Christianismo quempiam censendi hoc est. Cæterum qui bonum tale nondum cognoverunt, et inspexerunt, nec ipsum perseverantia multa, lamentisque et lacrymis quæsiverunt, ut per hujuscemodi actiones purgati eo potirentur, et perfecte illi uniti, cum e communionem haberent, quomodo, dic mihi, simpliciter, et absolute spirituales nominentur? non enim sunt, quales esse oportet. Si enim *quod e carne natum est, caro est, et quod ex spiritu natum est, spiritus est* ¹⁹, qui secundum corpus genitus est, et virilem ætatem attingit, spiritualiter autem se nasci debere aut cogitavit, nec credidit, nec unquam studuit, quomodo tandem spiritualis fiet, et spiritualibus sese annumerabit? nisi clam, ut qui sordidas vestes induit, sese sanctis splendide amictis interserat, et in mensa regia cum illis discumbens, ejiciatur foras, ligatus manus et pedes ¹, non ut filius lucis, sed carnis et sanguinis, et mittatur in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus ².

Curramus igitur fideles totis viribus ; festinemus pigri in laborum patientia ; resurgamus mortui, ut obtineamus, seu potius ut participes fiamus charitatis, et ita cum ipsa ab his rebus demigrantes, Creatori ac Domino assistamus, extra creaturas aspectabiles cum ipsa constituti, et inaspectabili, increato, et experti omnis principii Deo uniti, cum ipso inaspectabilibus, et incorruptibilibus uniamur : *Præterit enim figura hujus mundi* ³, et cœlum ac terra magno impetu transibunt, elementa vero in medio ardentia solventur ⁴. Et qui charitate tum vacaverint, cum visibilibus creaturis ut creaturæ derelicti, in igne et horribilibus suppliciis inveniuntur ; charitas enim Deus est, et non creatura : *Et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, ut dilectus illè Joannes ait* ⁵. Sed forsitan : aliquis insipienter quærat, quomodo extra thalamum, et regnum, et chorum justorum alius insuper locus salutis, aut requiei non est? Stulte, sacram Scripturam dicentem non audis, locum omnium qui salvantur Deum esse? *Esto mihi, inquit, in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias* ⁶. Salus autem est, quæ a Deo dabitur dignis, plenissima deificationis gratia, quam vix assequetur, qui acceptam in sacro baptismo gratiam fideliter custodivit, et per multa quæ passus est mala, adoptionem filiorum per Spiritum sanctum in hoc mundo sartam tectam conservavit. Pauci enim sunt profecto, qui quasi decumanis vitæ fluctibus non jactentur, neque spuis ejus suffocentur, et ejus voluptatibus inescantur ac serviant. Domus autem Dei, thalamus, et regnum omnia complexu ambiens suo, ejus deitas est, solis demonibus, et peccatoribus inaccessa. Videtur quidem præclusa omnibus sed fidelibus ac pro nobis tantum patet.

¹⁹ Joan. iii, 6. ¹ Matth. xxii, 13. ² Matth. xxv, 40. ³ I Cor. vii, 31. ⁴ I Petr. iii, 10. ⁵ I Joan. iv, 16. ⁶ Psal. xxx, 3.

Si igitur Deus lux est, a luce separati, quomodo A tenebras effugiemus? Si extra thalamum inveniamur, quomodo vel aliquantum lætabimur? Si gratia privemur, quomodo tristitia carebimus? Si regno excidamus, aspectu, inquam, et contemplatione Christi, et Dei nostri, quam aliam salutem, aut consolationem expectabimus, aut in quo alio loco delectari possimus? nusquam certe. Locus enim positionem cum circumscriptione significat. Deus autem non est in loco, sed super omnia, ut qui capi et comprehendi non potest, in quo omnium qui salvantur sedes. Quis ergo locus eorum qui regnum ejus amittunt? Annon audimus, unum mandatum transgressum primum parentem nostrum Adamum in paradiso, et ipsum cum Eva divina gloria exutum, illicoque paradiso exterminatos B esse? Sic mihi etiam de terribili judicii die cogita. Quicumque divina gloria virtutum et charitate, ut ille, nudatus reperietur, extra cœlestem thalamum, et regnum Dei mox expelletur, etiamsi peccatum non habeat, audiens a justo Judice: Non novi te: qui sis. Et: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Qui namque potestatem accepit in hoc sæculo Filius Dei, regnique Dei, et bonorum vitæ æternæ hæres fieri: qui didicit multis modis, per quæ opera et mandata ad hunc honorem et gloriam sustolli debeat, et hæc omnia floccipendit, prætulitque terrena et fluxa, et vitam porcorum præoptavit, temporalemque gloriam æterna potiorrem duxit, quomodo non jure ab omnibus fidelibus secludetur, et cum infidelibus, cumque ipso diabo C lo condempnabitur? In hoc enim, ait Scriptura: *Manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli, quia omnis qui facit justitiam, ex Deo natus est: qui autem facit peccatum, ex diabolo est*⁷. Sicut et ipse Dominus apud incredulos Judæos testatur: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere*⁸.

Ideirco rogo, patres et fratres, dum tempus est, et inter vivos numeramur, studiose contendamus, ut filii Dei et lucis appellemur, id quod regeneratio nobis præstat. Nam ut Dominus noster Jesus Christus affirmavit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlo- rum*⁹. Sic rursus affirmavit: *Nisi quis natus fue- rit denuo, non potest videre regnum Dei*¹⁰. Et ite- rum: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*¹¹. Hoc enim est semen Christi, per quod nos mortales cognationem ejus adipiscimur. Oderimus itaque mundum, et ea quæ sunt in mundo. Oderimus carnem, et quæ inde pullulant motiones male. Oderimus omnem pravam cupiditatem, et avaritiam funditus. Id facere poterimus, si magnitudinem excep- turæ nos gloriæ, gaudii deliciarumque cogitabi- mus. Quid ergo, cedo, in cœlo et in terra majus, quam Dei filium, et hæredem, et cohæredem Christi fieri? Nihil utique. Quicumque enim crediderunt, et

in veritate ipsum receperunt, dedit eis filios Dei fieri¹², qui non possunt peccare, ut scriptum est: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus in eo manet, et non potest peccare, quia ex Deo natus est, et mandata ejus servat*¹³. Et: *Qui servat mandata Dei, in Deo manet, et Deus in eo, et malignus non tangit eum*¹⁴. Nos autem, quia terrena, et quæ in manibus sunt præponimus, et quia bona in cœlis reposita non quærimus, nec ab eorum desiderio pendemus, primum quidem perspicuum videntibus damus indicium, nos infide- litatis morbo oppressos, sicut legimus: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, gloriam autem quæ a solo Deo est, non queritis*¹⁵? Deinde et perturbationum nostrarum servi, terræ et terrenis affligimur, nec ullo modo in cœlum ad Deum vultus tollere volumus, sed in animi insi- pientia ejus mandata repellentes, facimus, ne ab eo adoptari possimus. Nam qui credit Deum esse, magna quædam de eo concipit: novit enim eum solum verum, conditorem ac dominum esse om- nium inexplicabilem, immortalem, et regni ejus non fore aliquando finem. Ergo qui scit talem esse Deum, quinam eundem non amat? quomodo non etiam animam suam in mortem pro ejus amore tradere conabitur, ut dignus sit, non dicam filius ejus, et hæres, sed unus saltem e germanis ejus servis ipsi propius assistentibus, fieri? Si autem omnis qui in agone contendit, et mandata Dei cu- stodit, sic ut ab iis non deflectat; Deique filius factus, denuo nascitur, et pro vere fideli Christiano- que ab omnibus agnoscitur, nos vero mandata ejus contempnimus, et legem Dei aspènamur (quos, quando iterum cum gloria et virtute tremenda ve- niet, supplicis subiciet) in nostra fide ipsis ope- ribus infideles nos ostendimus, in infidelitate au- tem verbis solum fideles. Nolite errare, sine ope- ribus nihil nobis sola fides proderit¹⁶; est enim mortua, mortui vitam non adipiscuntur, nisi prius per executionem mandatorum hanc quæsierint. In qua executione velut fructus cum usura produci- tur in vobis charitas, eleemosyna erga proximum compassio, mansuetudo, humilitas, lacrymæ, ten- tationum patientia, castimonia, puritas cordis, per quam dignamur visione Dei; et in qua Spiritus sancti adventus atque illuminatio sita est, quæ denuo nos generat, et Dei filios efficit, Christum- que superinduit, et animæ lampadem accendit, et filios lucis reddit, et ab anima nostra tenebras dis- pellit, et deinceps jam æternæ vitæ consortes, quod cognoscamus, facit. Quare ne quibusdam aliis actionibus, et solis confisi jejuniis dico, vi- giliis, et aliis corporis afflictationibus, hanc man- datorum Dei obedientiam vilipendamus; quasi per illas sine hac salvari queamus. Hoc enim fieri non potest, non potest, inquam, fieri, idque tibi quin-

⁷ Matth. xxii, 12. ⁸ I Joan. iii, 8, 10. ⁹ Joan. viii, 44. ¹⁰ Joan. iii, 5. ¹¹ Ibid. ¹² Matth. iii, 11. ¹³ Joan. i, 16. ¹⁴ I Joan. iii, 9. ¹⁵ I Joan. v, 18. ¹⁶ Joan. v, 44. ¹⁷ Jac. ii, 20.

que virgines fatuæ persuadeant, quique multa signa et prodigia perpetrarunt. Quid quod charitatem in se, et sanctissimi Spiritus gratiam non haberent, a Domino audiverunt: *Discedite a me operarii iniquitatis: non enim novi vos*¹⁸, unde sitis. Nec isti modo, sed cum istis alii præterea non pauci, qui fuerunt quidem a sanctis apostolis, eorumque successoribus baptizati, verum Spiritus sancti gratia propter improbitatis magnitudinem caruerunt: nec vitam vocatione qua vocati erant, consentaneam egerunt: nec Dei filii appellati sunt, sed caro et sanguis manserunt; nec an esset omnino Spiritus sanctus credentes: nec illum quærentes; nec se accepturos expectantes. Unde hujusmodi homines nec desideriorum carnis, nec turbidarum affectionum capessere imperium unquam poterunt, nec ullum egregium virtutis documentum præbebunt, cum Dominus dicat: *Sine me nihil potestis facere*¹⁹. Sed elaboremus, obsecro, patres et fratres, et quantum in nobis est, ut de cætero charitatis, et Spiritus sancti communionem promereamur, quo et præsentia, et futura bona assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXIII.

De abnegatione et excidio propriæ voluntatis. Qua ratione vita ascetica colenda sit; in qua expediat habere ducem, id est, Patrem spirituales, cujus opera virtutem, asceticæque artis opus perdifficile discas. De fide in Patres spirituales, et visione luminis, a quo illuminata omnis anima proficit in charitate erga Deum.

Cum te in cœnobio, frater, collocaveris, noli patrem, a quo detonsus es adversari, tametsi scortus, aut poculis deditum, et opinione tua monasterii res male administrantem videas, atque etiam verberibus et ignominia, multisque aliis vexationibus ab eodem afficiare. Ne sedeto cum illis qui probra in eum torquent: neve ambulato cum iis qui malum ei machinantur. Quæcunque autem laudabilia facitatem cernis, ea in corde tuo reconde, eaque tantummodo meminisse contende. Quæ vero indecentia, et improba vel agentem vel loquentem notaveris, ea tibi met ascribe, et in peccatis tuis numerata, et cum lacrymis pœnitentiam age: illum pro viro sancto habe, et preces ejus implora. Quod si in cœnobio non vivis, Deum impense ora, uti hominem tibi demonstrat, qui te commode regat: quemque ille aut secreto per semetipsum, aut aperte per aliquem servorum suorum ostenderit, cum pete, nec aliter quam si Christum aspiceres, et alloquerere, venerator. Nam non secus quam ipsi Deo ejus voluntati parere debes: ut quæ in rem tuam sunt, ab illo doceare: quæque is tibi dixerit, sine ulla hæsitatione in opus confer, quamvis tibi non bona, et damnosa videantur.

A Præstat enim, discipuli discipulum vocari, quam ad numeros suos vitam instituere, inutilesque propriæ voluntatis fructus decerpere. Quando igitur ab eo audies, exi de terra voluntatis tuæ, et de cognatione sensus tui, ne cuncteris, neve erubescas, a vana gloria victus videlicet. Si dixerit: *Agredum veni in terram obedientiæ, quam monstrabo tibi, curre, mi frater, quantum potes: ne des somnum oculis tuis, ne pigritia, aut desidia dissolutus, contrahas genua tua. Fortassis enim illic apparebit tibi Deus, qui patrem multorum filiorum te facturum, terramque promissionis tibi donaturus est, quam hæreditatem justis duntaxat adibunt. Si te sursum in montem duxerit, impigre conscende. Etenim sat scio, Christum transfiguratum, et divino lumine clarius ipso sole collucentem aspicias, nec sustinens intueri, quæ nunquam spectasti, pronus fortasse cades, vocemque Patris desuper audies, et nubem obumbrantem, ac prophetas astantes, et eum vivorum mortuorumque Dominum esse confirmantes videbis*²⁰. Si te sequi hortabitur, fidenter cum eo per oppida vade, maximum inde fructum capturus, si in ipsum solum respexeris. Si cum fornicariis, et publicanis manducantem cernes²¹, nihil commoveare, nec humanum aliquid, sed omnia affectu sinistro carentia, et sancta de ipso cogita. Item illud: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrarer*²², in animo versa, dum cum humanis se affectibus attemperantem observas. Sed neque si oculis tuis videas aliquid, universe et plane illis credito: falluntur enim etiam hi, quod expertus novi. Ipsum sequens, illicque dicto audians, ne comites et socios tuos considera, neve dicas de aliquo: *Domine, hic autem quid*²³? sed tibi semper attende, et ante oculos mortem propone, ac tecum expende, qua virtute Deum glorifices.

B Ne supercilium toilas propter magistrum tuum, si honorere a majoribus: non, quod propter illius famam multos tibi obsequentes habeas: sed gaude potius, si nomen tuum in cœlo humilitatis scriptum sit²⁴. Quod si etiam umbram tuam videris demonibus formidabilem, ne tibi istuc, sed patris tui precibus attribue, et amplius te formidabunt. Si te in mensa, et propius assidere hortabitur, agnosce gratiam et admitte, illumque tacitus sancto observa, et cole, et ne quid de appositis, nisi precibus ab eo factis, attinge: nec citra ejus jussum ac voluntatem alteri porrige: nec quempiam alteri præferre aude. Quod si post omnes alios te vocabit, cave dicere: *A dextris, aut sinistris sedebo, cum hoc aliis paratum esse non ignores, et audieris: Qui vult omnium primus esse, sit omnium ultimus*²⁵. Partem infimam, ut primæ conciliatricem amplectere, et magistrum dilige, quippe qui scite per vilia et abjecta ad majora te laboret evellere.

¹⁸ Luc. xiii, 27. ¹⁹ Joan. xv, 5. ²⁰ Matth. xvii, 1 seqq. ²¹ Matth. ix, 10, 11. ²² I Cor. ix, 22. ²³ Joan. xvi, 21. ²⁴ Luc. x, 20. ²⁵ Matth. xx, 27.

Neque vero per arrogantiam primus cum ipso manum in paropsidem intinges : cujus enim sit hæc audacia, non te fugit. Si tibi pedes abluere voluerit, eum ut dominum et magistrum reverere, et renitere. Sin dixerit : *Nisi pedes tibi laveris, non habebis partem mecum*²⁶, etiam totum corpus tuum abluendum alacriter expone : ut ex his quæ tibi sunt, sublimitatem et magnam humilitatis, etiam deus facientis, intelligas, et majorem tunc utilitatem referas, si animadvertas, quam si tu patris tui pedes abluisses. Si dixerit inter accumbendum : *Unus ex vobis me tradet*²⁷, aut scandalizat me, ne tegas dolum : sed si conscius tibi es, confitere : sin autem, ad pedes ejus in faciem tuam prostratus, cum lacrymis interroga : *Numquid ego sum, Domine*²⁸ ? Etenim in plurimis, et per ignorantiam **B** offendimus²⁹. Porro in pectus Patris recumbere non conducit tibi. Nam etsi Joannes præ multa erga Christum charitate, ut eum homine egit libere, nihilominus et ipse cum omnibus, cum omnia fecisset, seipsum inutilem servum vocare jussus est. Si videris ducem tuum supra naturæ morem mira edere, fama que clarescere, crede, et lætare, Deoque gratias age, quod hujusmodi magistrum sortitus es. Sed ne invidi scandalum tibi pariant, cum eum ab illis fortasse ignominiosis multari, et alapis cædi, et raptari conspicias : quin ut fervidus ille Petrus gladium arripe, ejusque qui contra patrem tuum blaterare, aut eum attingere non veretur non auriculam solum, sed et manum **C** et linguam amputa. Quod si etiam, ut ille, castigare, omnino tamen ob egregiam fidem et charitatem magis laudabere. Sin, ut homo, perterritus dixeris : *Non novi hominem*³⁰, rursus super hoc amare plora, et ne desperatione absorbere. Quod si faxis, persuasum habeo fore, ut ille te primum ad se attrahat. Si eum tanquam sceleratum in crucem alligi, et pro sceleratis mori aspexeris, si potes, commorere : aut certe ne malis ut malus, et proditor te adjuuge, neque cum ipsis in sanguine innocenti communica; sed ut qui ex timiditate, et infractione animi paulisper pastorem deserueris, filium in illum de integro custodi. Si vinculis levabitur, ac dimittetur, iterum accede, ac velut martyrem amplius venerare. Quod si in tentationibus animam reddiderit, corpus ejus sine meta require, et illud multo magis quam vivens præseus honora, unguentoque delibatum, sumptuose tumula. Quanquam enim non post triduum extremo die profecto cum universis resurget. Crede autem, illum cum fiducia astare Deo, tametsi corpus ejus sepulcro abs te conditum jaceat, ac sine dubitatione preces ejusdem exposee, et opitulabitur tibi hic, atque in adversis omnibus tuebitur te, et e corpore excedentem recipiet, æternamque mansionem præparabit tibi. Si post omnia que diximus, scer-

sum te vocarit, et ad quiescendum hortatus, dixerit : *sede hic, et publico abstine, donec induaris virtute ex alto*³¹, cum firma spe et inexplebili gaudio obedi : verax siquidem, fratres mei, talis magister, et a mendacio alienus est. Superveniet namque in te etiam nunc par sanctissimi Spiritus virtus, non in specie ignis, ut sensu percipi possit, apparens ; nec cum multo sonitu, in spiritu vehementi (hæc enim propter incredulos facta sunt) sed in specie luminis, quod menti patet, cum omni tranquillitate et jucunditate animi, sic, ut intelligas, tibi apparebit : quod æterni ac primi illius luminis præmium, et fulgor ac scintilla quædam sempiternæ beatitudinis est. Hoc nunc lucente lumine, omnis inquieta ac turbulenta cogitatio disperit, et omnis concitatio animi motu dissipatur, omnis corporis morbus sanatur. Tunc oculi cordis tui purgantur, cernuntque Deum, quod in beatitudinibus scriptum est³². Tunc velut in speculo parva errata sua intuens anima, in abyssum humilitatis deficitur, perspectaque gloriæ magnitudine, omni lætitia et voluptate repletur, et insperato attonita miraculo, lacrymis ubertim rorat : atque ita totus homo immutatur, et Deum cognoscit, ab eoque primum cognoscitur. Hæc namque sola omnium cælestium ac terrestrium, præsentium et futurorum, tristificorum, lætificorumque contemptionem homini ingenerat, quem simul amicum Dei, et Filium Altissimi, et Deum (quantum quidem in hominem cadit) efficit.

Vide igitur, frater, ne forte præter voluntatem deteriores sequaris. Nam qui perspicientia valet, lupum ab ove, latronem a pastore internoscet : sicut nimirum ipse Dominus ac Deus poster affirmavit : *Attendite, inquit, a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos*³³. Ut enim arbor ex fructu, sic homo ex sermone et opere suo qualis sit cognoscitur : sed cognoscitur ab iis in quibus sana est ratio, et animæ sensus constat. Cæteri namque homines etiam ad ipsa opera discernenda stupidi ac stolidi sunt. Quempiam ex inedia captantem auram popularem videntes commendant, et eum humilitate comedentem damnant. Alium in humilitate cibo abstinentem pro hypocrita habent; contra ingluviei deditum, simplicem, et minime in epulis accuratum ducunt, qui cum crebro accumbere delectantur, vitiosas inde affectiones suas consolantes. Quin etiam satlem simulantes, facetasque nugas intempestive effluentis, et gestibus indecoris risum aliis moventes, velut qui per studia istiusmodi, gestus, et sermones virtutem suam, et ἀπάρθραυ legere conentur dum reputant, eos qui eam religione, cum virtute et simplicitate cordis vitam traducunt, vere sanctos, ut aliquos de fæce vulgî falsis ratiun-

²⁶ Jan. xii, 18. ²⁷ Matth. xxvi, 21. ²⁸ Ibid. 22. ²⁹ Jac. iii, 2. ³⁰ Matth. xxvi, 72. ³¹ Luc. xxi, 33. ³² Matth. v, 1 seqq. ³³ Ibid. vii, 15.

culis decipiant, iisque antevertunt. Adhæc alii loquacem, et ostendabundum, appositum ad docendum, et spiritualem esse existimant: taciturnum, et otiosa verba caventem sedulo, agrestem et mutum pronuntiant. Alii in Spiritu sancto loquentem, ut alta sapientem ac superbum aversantur, verbis ejus attoniti magis, quam compuncti: natura autem, aut ex disciplinarum peritia ore rotundo discretentem, et contra salutem suam mentientem, supra modum commendant et probant. Atque ita nullus inter hos est, qui recte, et ut se habet, rem videre, dijudicareque possit. Rari sunt enim, et his temporibus potissimum, qui animos bene regere, eorumque morbos probe curare sciant. Jejunia enim, et vigiliis et speciem pietatis multi fortasse simularunt, aut etiam opere exercuerunt, nec pauca e pectore depromere, et verbis docere plures facile possunt: ast qui cum lacrymis motus a ratione aversos excindant, virtutesque comprehensivas ita possideant ut iis spoliari nequeant, perpauci reperiuntur. Virtutes comprehensivas appellamus humilitatem, vitiosarum affectionum jugulatricem, et cœlestis atque angelicæ apathicæ conciliatricem. Item charitatem, quæ nunquam stat, neque cadit; sed prioribus semper adjicit, desiderium desiderio, amorem amore cumulans. Ex qua discretio existit, quæ et seipsam, et sequentes se recta ducit, et bene procedendo ac proficiendo mare, quod sola intelligentia percipitur, trajicit; quam et tu Deum poscere debes, nunc maxime, quo res tuas secundum ejus beneplacitum discernas atque dijudices, et ita labores contendasque, ut Christum et in hac vita adiutorem, et in futura claritatis suæ voluptatem affatim et tibi impertientem invenias. Et neque ut pastorem sequaris lupum, neque morbido gregi te immisceas, neque solus seorsum reperiare; ut neque aut a lupo animarum perditore, aut a bellua interceptus conspiciare; aut alio atque alio morbo ægrotus, secundum animam intereas; aut cum solus cecideris, illud *Væ* in te quadret³⁴. Qui enim bono se præceptorum tradiderit, nihil istorum curabit, sed sollicitudinis expers, vita peracta, in Christo Jesu Domino nostro salvabitur.

ORATIO XXIV.

ARGUMENTUM.

Ducem Christi gregis ratione præditi primum semetipsum accurate considerare et explorare debere; quippe quem discere, et exsequi Dei voluntatem semper oportet, et ita demum alios idipsum docere quo sermo doctrinæ ejus cum actione conjunctus, auditoribus gratus accidat. Alioqui salutem sibi suam ipse curet, ne tum sibi, tum quibus præest, perniciem atque interitum creet.

Dominus noster Jesus Christus non solum docentem beatum prædicat: sed eum quoque, qui fecit, ante quam doceret: *Beatus, inquit, qui fecit et docuit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*³⁵.

A Et sancti Patres Ecclesiæ lumina ac magistri, nihil scriptis mandarunt, aut voce docuerunt, quod ipsi prius facto non præstitissent, et ubi præstiterunt, res illis successit ex sententia. Etenim discipuli magistro tali operam dantes, ad ejus imitationem incitantur: nec tantum ex illis sermonibus proficiunt, quantum præclaris ejusdem actionibus et exemplo ad virtutem capessendam exardescunt, et iisdem vestigiis incedere coguntur. At enim, vae nobis, fratres, cum in istam confidentiam, et in has tenebras monachi-incidimus, ut vos Christi oves sine Christo pascere aggredieremur, ac propter voluptatem, commodaque corporis, et acquirendam pecuniam, honoremque ab hominibus (væ abjecto mihi atque misero) apostolicam dignitatem omnimodis assumere contendimus, illorumque potestatem auro mercamur, nec Deum timentes, nec homines nos intuentes reveriti. Ac solum quidem regis illo invito conscendere nemo audeat. Sed neque grammatici, aut rhetoris alicujus occupare locum, qui idiota sit, neque audiente populo Scripturas recitare, qui litteras nescit, eum nos interium apostolici muneris amplitudinem quærimus; aut etiam delatam non rejicimus, qui gratiam apostolorum nondum accepimus neque fructus ejus in nobis demessos aspeximus. Et quomodo, fratres, tantam audaciæ magnitudinem concipere non formidamus? Dicite mihi, dilecti, si frequens ista, et ampla civitas quempiam advocaret, ac diceret: Te præpositum, et imperatoris protevestiarium creabimus, tu solus ascende in regiam, ingressusque, causam nostram apud imperatorem age, ipsumque precare, ut hæc et illa nobis præstet. Si is palatium nunquam intravisset; sed tam ipsis aulicis omnibus, quam imperatori ignotus esset, num istuc unquam facere, aut dignitatem istam inire sustineret? Adeo projectum fore neminem omnes procul dubio fatebimur, et suasores istos ut insanos et amentes reprehensurum et irrisurum, dignitatemque non ut honoris, sed ut dedecoris, et supplicii materiam repudiaturum. Si igitur in rebus humanis hæc, et similia committere nefas est, nonne horribile est ac videtur, fratres, apostolicam dignitatem inconsiderate suscipere, et ad inaccessible lumen accedere, mediatoresque, et interpretes Dei et hominum fieri? Num leve quiddam, et despicabile hujus rei conatum ducimus? Proh dolor! fratres, quoniam, ut vercor, in quamdam tenebrarum universitatem devoluti sumus, atque idcirco quam audaci nos facinore obstrinxerimus, non videmus. Nam si videremus, nunquam eo arrogantiae, confidentiæque processissemus, ut divinis rebus insultaremus, majoreque honore ac timore terrenum, quam immortalem regem Christum coleremus. Quocirca nos ipsos excutere, examinareque, et ad hunc magistratum indigne conantes ascendere, omni ratione evertere, eorumque

³⁴ Eccle. iv, 10. ³⁵ Matth. v, 19.

consiliis obviam ire ne desinamus, sed pro virili A nostra appetitu rationi haud consentaneo eos prohibere studeamus, ut et ipsos damnatione liberemus, et nos vitam securiorem agitemus.

Porro qui in semet diligenter inquirens, omni gloriae desiderio solutum, nec ullum in se voluptatis, aut corporae cupiditatis vestigium invenit, avaritiaque, et malevolentia ob illatam injuriam purgatum, perfecte mansuetum, et irasci nescium, ut sola auditione nominis Christi ejus amore ac desiderio accendatur, et oppleatur lacrymis, et insuper proximorum vice luceat, alienaque delicta sua aestimet, ac se majorem omnibus peccatorem ex animo reputet, ac postremo, si uberem sancti Spiritus gratiam, solis instar in se micantem, et interiora cordis ejus perficientem videt, et ubi B miraculum in se manifeste perpetrari animadvertit, ut ardeat quidem in eo, quod igni inaccessiblei unlatur, non autem comburatur, in eo, quod ejus anima omni turbido motu vacet: praeterea, si sic humiliatur, ut se haud idoneum, et indignum, humanae naturae infirmitatem sciens, arbitretur, fidit vero supernae gratiae, et aptitudini, quam illa largitur, et eadem ita postulante munus alacriter capessit, omnem humanam ratiocinationem repellens, animamque ipsam propter solum Dei mandatum, charitatemque proximi pro fratribus morti objectat: si insuper mentem omni mundana cogitatione immunem habet, et lucida humilitatis tunica coopertus est, ut erga adjuutores suos nec modice afficiatur, sed pari bonitate, candore, et innocentia cordis sui in omnes est; ne tunc quidem citra patris sui consilium ac voluntatem provinciam suscipere audeat: sed humiliet se, et eo bene precante jubenteque id faciat, praefecturamque ob solam fratrum salutem accipiat. Verum si patrem suum spirituales ejusdem spiritus participem, et eadem cognitione ac dono dignatum novit, ut non divinae voluntati contraria, sed secundum ipsum donum et mensuram loquatur ei, quae Deo placent, et ejus animae conducant, quo non Deo, sed homini obediens invenitur, et gloria collatoque sibi donec exuatur. Si enim adjuctorem bonum, et spirituales consiliarium invenerit, tutius istuc munus auspiciabitur, et humiliter de se sentiet. Haec itaque omnia C et his plura si videns viderit, vere inveniet, et per seipsum cognoscet, imo vero a Sole justitiae discet, si forte etiam in solem aliquando oculos intendit. Quod si quae praetextantur talia et tam difficilia sunt, nec facile est intelligere, quomodo secundum Deum fiant, quanto tandem operosior erit rei ipsius aggressio, et administratio, et ad tentationes sufferendas patientia, et in bellis istiusmodi subtilissima dijudicatio.

Quare, pater spiritualis etiam atque etiam cor tuum inspecta, oculum animi tui magis semper lava, puramque et mundum conserva, per quem et cor

tuum, et commissarum tibi ovium, vel potius patrum et fratrum tuorum perspicere poteris, bene illos internoscens, ac pro eo ut decet gubernans. Ecclesia enim, seu conventus et congregatio monachorum corpus quoddam est, ut audis ex Paulo ²³ de Christianorum Ecclesia, et ejus caput praepositus. Jam quemadmodum caetera corporis membra singula seorsum suam propriam functionem habent, ut pes ambulandi, manus tenendi et operandi, caput autem totius instar est, utpote in quo omnes sensus, et mens, et ratio habitant; sic et in monasterio fratres non omnes omnia, sed alius aliud quiddam efficere, et in hoc vel illo ministrare consuevit. Unde in coetu sub unius obedientia degentium vix unam, aut duas virtutes in eodem invenias. Nec mirum, membra enim particulatim sunt; praeses autem, sive praepositus omnes virtutes poscitur; nec solum illas quae in anima, sed etiam quae in corpore subjiciuntur: et insuper cum virtutibus ipsa mystica, magnaque charismata. Sicut namque viri caput, ab externa conformatione, et decora specie eximiam, honore dignam praefert elegantiam: verumtamen nisi mens in eo vigeat, sensusque salvos, et integros habeat, inutile judicatur, sperniturque ab omnibus: ita sane et praefectus. Non enim tantummodo ab animae et corporis dotibus ornari et fulgere, verum etiam a charismatis spiritualibus plus honestari debet: siquidem aliud est virtus, et aliud charisma. Virtutibus enim studio ac diligentia nostra recte C lungimur, et nostris eae laboribus comparantur: spiritualia vero charismata dona sunt, quae certantibus a Deo dantur. Verbi causa, jejunium, et castitas virtutes sunt, marcidas etenim reddunt voluptates, et corporis incendia compescunt: quae quidem nostrae voluntatis et arbitrii opera sunt. At vero sine afflictione, ac labore has exercere, et ad castimoniam, absolutamque perturbationum vacantem pervenire, hoc donum Dei, et charisma summum est. Rursum, irae, et exardescitiae imperare, magni certaminis est, laborisque non mediocri. Eo autem venire, ut ab his motum nullum sentias, et cordis tranquillitatem, perfectamque mansuetudinem possideas, solius Dei opus, et illius dextrae mutatio est ²⁴. Rursum, dispergere ac distribuere facultates omnes pauperibus, mendicumque fieri, et stipem cogere, nostri est propositi atque consilii. Sed nihil concupiscere, quin cum gaudio et voluptate mendicitatis durissima perferre incommoda, mystica quaedam, et divina operatio est. Sic quaelibet actio bona et honesta, secundum Dei legem suscepta, virtus dicitur: Tamen sicut agricola solum arando, fodiendo, et semina humo obruendo laborat, Dei autem munus est, ut eadem semina comprehendant, et fructum ferant matutinum ac serotinum: ita et in spiritualibus omnino usovenire comperies. Nostrum est

²³ Rom. XII, 4 seqq. ²⁴ Psal. LXXVI, 11.

nullam actionem subterfugere, et cum labore ac sudore virtutum sementem facere: Dei solius donum et misericordia ut imber quoque benignitatis ejus, et gratiæ terram cordium nostrorum irriget, et ex sterili frugiferam efficiat: ut si granum sermonis, quod in animas nostras cecidit, divinæ clementiæ humorem acceperit, oriatur, atque augetur, et in arborem proceram excrescat, in virilem videlicet perfectionem mensuræ ætatis plenitudinis Christi ³⁷.

Te igitur pastorem ovium Christi omni virtute, ut diximus, qua spiritus, qua corporis conspicuum esse oportet, ut caput reliqui corporis; ejus nempe quæ tibi subest Israelitiæ Ecclesiæ: quo fratres tanquam in archetypum bonitatis in te intuentes, ipsi quoque bonos, ac regales characteres quam maxime sibimet insculpant. Ne ergo tuba resonare in te unquam desinat: sed aliis quidem venturam super inobedientes, et præfractos rhombæam prænuntia: ut si tibi non obtemperetur, tuam saltem a terribili ira Dei serves animam. Alios autem admone, doce, roga. Si qui interdum reprehensionibus et objurgationibus egeant, insta opportune, importune, argue, increpa, conatus eorum ad malum comprime, ut tibi mandat divinus Apostolus ³⁸. Viscera tua omnibus fratribus tuis æqualiter aperi, totumque collegium dilige, et honorem cuique pro dignitate (quantum scilicet ejus virtus meretur) tribue, spirituali ac virtute prædito ne illum quidem antepone, quem in ministeriis gregis tui principem habes. Qui enim ministrant, septem diaconorum, de quibus est in Actis apostolicis ³⁹, dignitatem officiumque adumbrant; qui etiam velut Spiritus administratorii sunt, in ministerium missi, et sincere, ut illi, fideliterque, ac nullius turpis lucri gratia ministrantes, mercedem merito et magnam tum hic, tum illic recipiunt. Cæterum qui orationi, quieti et ministerio verbi instant, in patientia exercitationis operum præstantissimorum, ipsorum apostolorum et coryphæorum excellentiam tecum representant; quos et in Evangelio spiritualis doctrinæ tuæ auxiliares habebis, fratrum onera suscipientes, et laboribus te levantes, in medio videlicet reliquorum, ut lapides pretiosos versantes. In hoc munere nulla tibi requies corporis, nulla oblectatio. Noctes perinde ut dies in curam concreditarum tibi animarum impendes, ne qua ex ipsis a bestia excipiat; aut ab urso concupiscentiæ devorata, aut a dracone iracundiæ absorpta, aut a gryphibus superbarum cogitationum discerpta, et una unius diversitatibus hujuscemodi distracta ac dissipata, multa fiat: sed ut gregem tuum incolumem, secundum, totum virtutibus multis fructuarium, divina cognitione illustratum, non scabiosum, non truncum auribus, aut plane claudum principi pastorem ⁴⁰ conserves. Sic enim et multos servabis, in operibus perfectis

A perfectos reddens, nemini in ullo cedantes, totos castos, et a sordidis operibus puros Christo tuo offerens; teque ipsum magnis et cœlestibus remunerationibus dignum præstabis, contubernalis apostolorum et pastorum Christi factus, et una cum ipso Dei Filio in infinita sæcula regnaturus.

Vita tua inculpata, et recta in medio fratrum, ac patrum tuorum pro canone seu regula esto proposita, ad quam aliorum obliquitates, tortuositatesque dirigantur. Ne vanitatum mundi sis amans, ne gloriæ, ne voluptatis, ne mensarum, ne vini. Ne sis nugator, aut scurrilis, aut avarus: ne iracundus, ne inanis gloriæ cupidus, ne contumeliosus, ne injuriæ memor, et malum pro malo rependens: sed esto potius pauper, gloriam, omnemque vitæ hujus voluptatem, et carnis delicias odio habens, demisso animo, frugalis, ad compunctionem facilis, placidus, mansuetus, expers iræ, non avarus, incuriosus, quietus, decenter vestitus, patiens, fidelis, continens, sine sollicitudine, vigilans, diligens, æmulator, commendatarum tibi animarum, non secus quam tuorum ipsius membrorum curam gerens; et, si res postulet, pro unaquaque illarum etiam tuam animam ponens, nihil quidpiam mundanum charitati erga illos præferens. Etenim postquam aliis, ad gregem Domini ac Dei tui rationis compotem pascendum, regendumque prælatus es, oportet te juxta verbum ejus, spiritu et humilitate tua secundum Deum, ultimum esse omnium, ut tanquam validus infirmitates invalidorum sustentens; ut medicus autem secundum animam ægrotantium morbos, et affectiones cures; ut pastor, quod errat in viam reducas, et quod bene valet, virtutibus fecundum reddas, scabiæ vero opertum, et incurabile, a grege tuo abscindas, ne etiam sanis ovibus tuis luem affricet. Domini tui gregem augere labora. Ne ad remissiones, aut suavitates corporis deflectas, neque lanam, et adipem ovium Christi perperam consumes, tibi magis quam fratribus tuis monasterii opes ad voluptates tuas in thesaurum recondens. Ne propter hominum gloriam quidquam rerum ad monasterium tuum pertinentium agas aut corrigas. Ne ames crebro prodire in multis splendide instratis, cum magno præcedentium sequentiumque famulorum comitatu. Sufficiat tibi vel semel in mense foras exire, et gregis tui negotia majoris momenti obire. Cætera curabunt qui ministrant, qui abs te ministerio verbi, et procuratori fratrum, cum precibus intento, nunquam distrahuntur. Ne tibi epulas sumptuosas, filiis abjectas, plebeias, et inconditas para: sed communis mensa, sine aliquo morbi periculo, et invitatione amicorum, tibi cum filiis tuis esto, quorum idem tecum sensus, idem institutum vitæ, sive ex coctis oleribus, et leguminibus, sive ex pisce semel per hebdomadam, Dominico die, et festo despo-

³⁷ Ephes. iv, 15. ³⁸ II Tim. iv, 1 seqq. ³⁹ Act. vi, 1 seqq. ⁴⁰ I Petr. v, 4.

deo (hoc est, solemnioribus Domini festis per annum) a cellario communiter paretur. Ubi nihil existit, quod animæ periculum afferat, cavebis ira, et clamore contra fratres ac filios tuos insurgere; sed mihi sermone et alloquio docebis eos, quomodo unumquemque ambulare, et in medio fratrum conversari deceat. Juniores, et nondum confirmatos monebis parcere sibi ipsis, et aliis fratribus, ne aspicientibus incessu, moribusque, ac studiis incompositis offendiculo sint. Qui in statu religioso diutius vixerunt, eos prudenti oratione ad patientiam tentationum ab inimico supervenientium, humilitatem, contritionem cordis, compunctionem, lacrymas, diligentiam, persolutionem precatationum, beatum luctum, et ad verbo opereque cæteris commodandum erudies. Sacerdotes pietatem docebis, quietem, divinarum Scripturarum meditationem, accuratam apostolicorum canonum, traditionumque scientiam, dogmatum sinceritatem, cordis puritatem, in precibus constantiam et compunctionem, in timore et tremore ad Dei solium assistentiam, sacrificii mysterium, revelationem mysteriorum Dei, quoniam secundum Domini vocem⁴¹, ipsis datum est nosse mysterium regni Dei, ut toti fratrum multitudini, et extraneis divinum sal, et lumen, verbum vitæ in seipsis continentes fiant. Quod si etiam contra turbulentos, et inordinatos aliquando te in virga et baculo cum ratione irasci oportet, ut malum aliquod prohibeas, et pestiferam inter eos labem reprimas, ne opus malum, et affectus vitiosus in deterius serpat, neque istuc apostolicis Constitutionibus, et divinis Patribus alienum judicatur. Omnis siquidem motio, et actio nostra, quæ improbitatem compescit, ac persequitur, justitiæ autem ac virtuti patrocinatur, laudabilis est, et Deo placet, justisque omnibus probatur maxime. Testis Jesus, qui contumaces Judæos ex domo orationis domum negotiationis facientes, flagello percussit, et mensas nummulariorum evertit⁴². Ne igitur prætexens mansuetudinem, propter solam laudem humanam modicum quidpiam præter Dei mandatum admissum ad subversionem apostolicorum canonum, et constitutionum, contumeliamque vitæ evangelicæ, et status monastici neglexeris; sed Jesum ac Dominum tuum imitatus, infremens, ac teipsum sine turbatione turbans, mandata Dei, et canones ab ejus apostolis præscriptos ulciscere. Cum omnibus istis etiam cujusque cogitationes diligenter investiga, ut noris, qui ex ipsis ad comprecantium, et communicantium cœtum admittendi, et quibus excommunicatione ac pœnitentia cum lacrymis, stationeque pœnitentium opus sit, ne Ecclesiam pro templo sancto speluncam latronum, aut lupanar vel scias vel insciens faciens, dum per affectum cui-

piam affixus es, et ideirco horrendum Dei Judicium non effugas. Scito enim unicuique talium ab his qui spectatores, et discipuli sermonis fuerunt, locum convenientem (9), ac jure destinatum esse, quorum canonibus, constitutionibusque legendis incumbere necessario debes ut ne ignores, quæ credentium in Christum abscondita sint mysteria, et ne pecces, dum pietati erga Deum parum consentanea geris. Spirituales filios tuos secundum Scripturas religiosos redde, cosque a sacris et divinis locis, simul et vasis templi. Dei sanctificati, et ministerii ejus abstinere doce siquidem scriptum est: *Beatus homo, qui semper est pavidus*⁴³, quandoquidem solis consecratis, et qui ex certaminibus ac pœnitentia per lacrymas multas purgati, immaculataque Christi mysteriorum participes sunt, sanctificatis, et religiosissimis monachorum ministerium talium, et contrectatio a Patribus, et apostolis dicata est. Non omnibus, et cuique volenti ingressum divini tabernaculi, sed sacratis duntaxat, ut dictum est, et sanctificatis, religiosissimisque fratribus, et patribus tuis permittito. Reliquis, et inordinate ambulatibus (vide quid tibi dicatur) ipsum claudes. Multi quippe, mihi crede, propter contemptum istiusmodi rerum e vita præsentis tolluntur. Et plane, si hoc præceptum vilipenderis, sanguis de hac vita sublatorum de manibus tuis requiretur⁴⁴.

Hæc sunt, et plura his, o pastor ovium Christi, quæ ad gregis tui custodiam perfecte scire, et studiose facere debes. Proinde si nosti, te ad tantam sufficientiam progressum, tantaque charismata feliciter adeptum, ex solo elucente ex te lumine bonorum operum, et divinæ sapientiæ ac notitiæ, ad illuminandam omnes familiariter adeuntes ad te tuos, alienosque et rege fidenter oves Christi scienti sermone collatæ tibi gratiæ, et actione virtutis secundum modum et legem tibi prius datam desuper; et pascere agnos ejus in pascuis salutiferis mandatorum illius, donec crescant, et in mensuram ætatis plenitudinis Christi occurrant⁴⁵, et inde præmium consequere, quando cum apostolis considerabis et habitabis. Sin minus, apud te ipsum pavidus, si quid mihi credis de salute tua sollicito: siquidem Deus noster ignis consumens est⁴⁶, quem decet omnis gloria, honor et adoratio in sæcula. Amen.

ORATIO XXV.

ARGUMENTUM.

De primordiis vitæ admodum frugiferis ac salutaribus, pro iis qui nuper mundo, et mundanis renuntiantes, ad vitam solitariam confugerunt, et doctrina ad tyrones, seu novitios longe utilissima.

Quicumque, fratres, mundo et iis quæ in mundo sunt universis recens renuntiavit, seque ad vitam

⁴¹ Luc. viii, 10. ⁴² Joan. ii, 1 seqq. ⁴³ Prov. xxviii, 14. ⁴⁴ Ezech. iii, 18. ⁴⁵ Ephes. iv, 13.

⁴⁶ Deut. iv, 24

(9) De loco pœnitentium vide epist. 5. Gregorii Thaumaturgi can. xl. Bal. Sam. in scholiis ad can.

cit. Ant. Augustinum in notis ad eundem canonem.

et stadium monachorum contulit, si quidem propter Deum id fecit, et hanc artem artem discere constituit, suumque e mundo discessum non inane esse desiderat, ab ipso statim initio impigerime, et ardentissima cum voluntate, propositoque ad virtutis opera incumbere debet. Atque ut elementa et principia scientiæ scientiarum, nostri, inquam, religiosi instituti et *δοξολογίας*; his qui nuper e mundo ad eam tanquam ad scholam quandam accesserunt, introductione quadam scriptis tradamus, primo loco ipsis, et qui eos sequentur, hæc rudius summamque præcipimus. Scire igitur licet, qui jam terrenum hominem cum prudentia sua per ea quæ apparent exiit, cœlestemque cum habitu monastico induit, nocte media, ante diluculum surgere debere, precem præscriptam fundere, atque ita demum cum omnibus ad doxologiam congregari, eaque considerate, et vigilanter perfungi, ut ad principium hymnodicæ attentus sit vehementer, sive ad hexapsalmum, ad versiculos, ad lectionem, citra omnem pigritiam; non discincto corpore, et pedem ante pedem collocans, aut muris, columnisve se acclinans. Manus constanter junctas, pedes æqualiter in terra firmatos habere, caput non hac illac agitare, et antrorsum illud inflectere, mente non elferri, nec curiosa cogitare, aut cum negligentioribus, et inter se fabulantibus ac susurrantibus a cœptis abduci: quin potius nec oculos, nec animum in sublime tollere, solique psalmodicæ, et lectioni, et virtuti eorum quæ psalluntur, atque e divinis Scripturis leguntur, quoad ejus fieri potest, attentum se præbere, ut ne quid eum non adinadversum prætereat: verum ex omnibus pinguescens ejus anima, ad compunctionem; humilitatem et illuminationem sancti Spiritus perlingat.

Quocirca vos universos tanquam unum, Patres, fratres, et filii mei, obsecro, et hoc ut legem salutarem jubeo, ut unusquisque vestrum tale initium ad opus virtutis, imo vero ad opus Dei faciat (per quod et mercedem laboribus nostris respondentem, eum ab eo qui bonos amet accipimus) ut si fieri queat, nemo nostrum sine lacrymis ad officium et lectionem accedat. Si enim, mi frater, ita te ad opus hoc assuefeceris, brevi tempore processus efficies, et in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi occurreris. Instans enim tibi ipsi, ne citra lacrymas præscriptum Ecclesiæ, seu congregationis officium decurras, habitum boni hujus adipisceris, atque in ipsa stichologia, et tropariis quæ psallis, alitur animus tuus, dum divinos eorum sensus, in se recipit, et per ea quæ dicuntur, ad ea quæ intelliguntur, mens provehitur, dulcique fletu stillans, ita in cœtu fratrum, ut in cœlo cum beatis mentibus vivis. Fer igitur

A tibi et hanc legem, nē ante ultimam preceationem e synaxi sine magna necessitate, aut corporis levandi unquam excas: sed in statione tua, ut dictum est, persevera: siquidem *qui perseveraverit usque in finem, hic*, ut scriptum exstat, *salvus erit*⁴⁶. Non hoc tantum; sed primum quidem auxilium occulte, ut non sentiat: deinde etiam ut sentiat, pauloque post in illuminatione ab omnipotenti Deo accipiet. Absoluta matutina doxologia, statim egrediens ne ab hujus, aut illius ore pendere, et otiosa colloqui inciplas. Verum postquam seorsum in cella consuetam, et longam preceationem cum lacrymis, et adoratione multa persolveris, ad opus aliquod corporeum aggredere, statimque eo decurre, sive ministerium est ad ministerium, sive opus manuum ad opus manuum, sive lectio ad lectionem. Ne porro otiosus omnino in cella desiderare velis, ne, quod dictu nefas: *Otiositas te multam malitiam doceat*⁴⁷. Sed neque monasterium obambula, laborantesque, aut ministrantes curiose observa. Custodi autem silentium, et abstine te ab omnium familiaritate et consuetudine, quæ est vera peregrinitas. Tibi soli, et operi manuum qualecunque est, attende. Alterius cellam, nisi a patre tuo spiritali, aut a monasterii curatore missus sis (10), ne ingrediare. Quo cum veneris, cave neve dicas, neve audias quidpiam extra id quod res postulat, cujus ergo missus es: sed cum breviter responderis, revertere. Quod si in transitu fratrem solum, aut cum altero sedentem, et intempestive garrigentem aspexeris, capite profundius inclinato tacitus præteri. Noli accedere, et una considerare, memor illius ex Psalmo: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit*⁴⁸. Pestilentes namque sunt hujusmodi, sicut et Paulus ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*⁴⁹. Jam si quid pestis est, idem est et corruptio. Quare cum otiosa fabulantibus, dilecte, ne sederis; nec dicas: *Audiam et ego quid loquamini*; sed ut modo aiebam, sub misso reverenter capite, præteri.

Silentium et statum conditionemque peregrini serva. Silentium, dum tibi metipsi tacens ais, quidnam ego boni possum proloqui, qui totus sum lutum, et fatuus? imo etiam hospes, et indignus, qui loquar, aut audiam, aut inter homines numerer. Peregrinitatem vero, fugamque omnis consortii, dum hæc cogitas, et tibi met ocellis, constituens tibi peccata tua ante oculos, nec primoribus duntaxat labris, sed ex præcordiis dicis: *Quis sum ego abjectus et vilis, ignobilis et mendicus, ut cellam alterius subeam? nonne ut me viderit, quasi monstrum aversabitur? nonne dicet, quid exsecrandus iste ad me venit, ut cellulam meam incestet? Et quanquam a principio hæc apud te*

⁴⁶ Matth. x, 22. ⁴⁷ Eccli. xxxiii, 29. ⁴⁸ Psal. i, 1. ⁴⁹ I Cor. xv, 33.

(10) *Ἐπὶ τοῦ διακονικοῦ τῆς μονῆς* vide Cassian. Collat. xxi, cap. 1 et 2.

dicere non potuisti, tamen sensim etiam ad hoc, gratia tibi cooperante pervenies. Tantum audi me humilem; tantum fac horum initium, frater, tantum hæc facere, et agere, et loqui ordire, et Deus te non deseret: mire enim te amat, teque ad agnitionem veritatis venire⁵⁹, et salvari desiderat. Cum tempus usque ad horam liturgiæ, seu missæ sic transegeris, iterum magno studio, et alacritate ad synaxin vade. Sta ea forma, quam in matutina doxologia tibi præscripsimus, et luctus nequam obliviscere. Asta cum tremore, utpote Filium Dei propter te sacrificari conspiciens, et si dignus es, atque ad hoc expiatus, in timore et gaudio accede communicaturus bonis inenarrabilibus. Post extremas preces egressus, cum omnibus accubitu ito, nec te a fratribus tuis separa. Et siquidem ministrare jubeberis, asta ut Christo, non ut hominibus, sincero affectu, et ex charitate, omnibus, ut sanctis, vel potius, sicut dicebamus, ut ipsi Christo ministraturus: animo singulos veluti complexans, et teipsum intentione ac voluntate totum per charitatem eis impendens, et te ex ministerio isto ad sanctimonii fructum percipiendum confirmans. Quod si mensæ cum cæteris tu quoque accubueris, en quid tibi, ut dilecto patri, ac fratri meo mandem. Ad appositas epulas ne festinus ac præceps manum extendas, antequam seniores de fratribus comedere incipiant, et antequam superne a sacerdote recitata sit benedictio. Cumque simul cum fratribus ac patribus tuis corpus cibo reficere cœperis, attende tibi, quam compositissime, et tacitus sedens, cum nullo penitus loquens, in lectione deflexus, et ut corpus, sic animum quoque ex divinis sancti Spiritus oraculis alens. Oportet enim te, cum geminus sis, ex animo, inquam, et corpore constans, convenienter gemino alimento ac mensa uti. Et cum corpus tibi sit terrestre, quod sensu percipitur, animus vero, qui sola ratione comprehenditur, ac divinus est, illud etiam sensibilibus, et e terra nascentibus eduliis, hunc intellectualibus, divinisque Scripturarum dapibus nutrire. Itaque partes in mensa appositas, quæ forte major aut minor sit curiose ne inspicias: sed quæ tibi præbita fuerit, eam cum omni gratiarum actione susceptam comede, idque temperanter, in omnibus saturitatem fugiens; indignum videlicet te fratrum mensa reputans, taliaque tecum volvens: Quis sum ego abjectus et nullius pretii, ut hisce sanctis assideam, et cibum una capiam? Sic tecum loquens, toto corde te solum peccatorem ducito, Quemadmodum mendicus aliquis, et pannis obsitus, si in medium principum ac divitum splendide sumptuoseque vestitorum inciderit, erubescit, ac timore perflatus, ne appropinquare quidem, aut liberius accedere ad quemquam eorum audet. Similiter tu erga omnes te gere, locum postremum semper eligens, et os pudore suffundens, cum ante

A quempiam sedere conspiceris; perinde ac si omnes illi divites sint virtutibus, tu autem mendicus, et nudus, et qui inter eos versere, eorumque vultus aspicias, indignissimus.

Cæterum cibum taturus, rursus ista peccatorum tuorum recordatus cogitabis: An non in iudicium et condemnationem fiat, si quid ex apposis contigero? Deo enim qui hæc procreavit, nobisque vescenda largitus est, ego ab infantia mea inobediens fui, et sanctas leges ejus non custodivi. Et quomodo bonis ipsius proinde ut sancti Patres isti ego quoque indignus et reus perfruar? Quo vultu ante oculos Domini mei ego nequam et improbus et ingratus servus, priusquam peccatorum me pœnituerit, et ab illius benignitate veniam perfecte acceperim, sicut qui non peccaverunt, aut cum peccassent, per pœnitentiam veniam impetrarunt, ipse pariter comedam, et bibam et cum sanctis gaudeam? Nullo modo, sed cibo et potione solum utar, ne vita deficiam, et meipsum macerabo, cruciabo et damnabo, ut Deus desuper respiciens, et angustias voluntariamque afflictionem meam intuens, misereatur, et multa mihi peccata mea ignoscat. Hæc igitur cogita, horum identidem memento. Adhæc impera tibi tot bolos edere, ut saturitas non sequatur, multo pauciores utique, quam pro necessitate, et quam concoquere posses. Item unum, aut duo pocula, et id una hora diei constituta sumere. Cum comedis, ne cogitationi subeunti cedas, ut aliquid de apposis eligas, quod absumas: sed cave ne quid comedas, quod tibi sapidum fore visum est: sola vero quæ ante te sunt, comede. Quin etiam si forte fructus, aut alia quædam bellaria fuerint, et unum quiddam tibi arriserit, dixeritque tacita cogitatio: Pulchrum est illud, accipe et comede, da operam ne vincare, neve tangas illud; quando per aliud nihil Adamus e paradiso exterminatus est, nisi quia arboris fructus pulcher ei, et bonus ad vescendum apparuit, et comedit ex ipso, ideoque ejectus et expulsus, morteque et corruptione damnatus est. Qui ergo in paradysum illum, vel potius in regnum cælorum reverti volunt, continentiam sine ulla transgressione etiam ad hæc usque servare debent, ne paulatim in majores, et noxias cupiditates incurrant. Si te fratres simul accumbentes hortantur, ut amplius comedas, aut bibas, nihil aliud respondebis, nisi quod junctis manibus paulum assurgens, inclinato capite, ac voce leni dices: Ignosce. Sic semper in omnibus respondeo. Nec quemquam de tuis reliquiis honora, nec ab aliis quidquam accipe. Si vinum non bibis, illud ne posescas; sed nec alteri cuiquam ex fratribus porrigas, nisi forte peregrinus est, et usus alicujus gratia ad te venit. Noli unquam cum aliquo ante tempus gustare, nec vesperi comedere, aut bibere, aut cœnare iterum; hinc enim mala omnia proli-

⁵⁹ 1 Tim. II, 4.

ciscuntur. Atque hæc sunt insidiae, et tendiculæ A diaboli, quæ cum speciem boni habeant, tamen venenum tegunt mortiferum, quas, qui credit nobis, fugiet, et qui paret verbis meis, adjuvante Deo, et Spiritus sancti gratia, nullum ab eis vulnus detrimentumve reportabit. Cæteri vitam mundanam sub habitu monachi se consecrari nesciunt, nec se in barathra et præcipitia incidere sentiunt.

Tu igitur, frater amantissime, hæc servare velis, etiamsi tibi moriendum sit; alioqui demonem gastrimargiæ, seu gulæ effugere non poteris. Si servaveris, scito diabolum conspectum tuum non ferentem, omnes contra te ignavos ac desides excitaturum, qui te probris conscident, iridebunt, B invident, illudent, vexabuntque millies, ut te a bono consilio, et actionibus salutiferis avocent: quæ si æquo animo toleres, magnum a Deo et Salvatore nostro auxilium, solatiumque consequere. Proinde et aliis in cœna sedentibus ac vescentibus, te autem non, sed sive ministrante, sive aliud agente, ne obliviscare, etiam hæc tibi met tacitus cantare: Si satis et me poenitisset, et mihi quoque peccata mea remissa essent, gaude- rem et ego, et cum fratribus meis accumberem. Quoniam autem per fœda facinora mea indignum me reddidi miser, hic secundum opera mea recipio. Hæc tibi dicito, et impera ventri quantum potes. Primos accubitus nunquam desidera; sed odi ex animo, ut superbiæ materiam. Humilitas C enim tua exaltabit te: et infimum esse omnium, primum te efficiet; quia scriptum est: *Omnis qui seipsum exaltat humiliabitur, et qui seipsum humiliat exaltabitur*⁶¹. Ubi vero cum fratribus universis de mensa surrexeris, Deoque gratias egeris, atque a sacerdote dimissus fueris, cum silentio in cellam tuam festina, clausoque ostio librum arripe, et post brevem lectionem, si quidem dies æstivi sunt, super storeolam tuam recubans, breviculum somnum carpe. Etenim saturitatem vitans, et tenuem adhibens alimoniam, panem scilicet et aquam cum mensura, et olera, aut legumina, minus dormies, et citius exurges. Si hiems fuerit, postquam pauca legeris, operi manuum accingero, D et in eo persevera, quoad lignum ad vespertinam hymnodiam vos convocaverit (11). Tum rursus synaxin ingressus, sta cum timore et attentione

coram Deo, psallens ei, et confitens, nihilque pe- nitus negligens. Vespertino officio completo, si potes a cibo et potu abstinere omnino, decreve- risque semel in die cibum sumere, non vulgarem in persolvendo vespertino officio tuo, et in nocturna precatone, vigiliaque utilitatem invenies. Sin au- tem, uno panem seu pane, et uno aquæ poculo, extra in valitudinem aliquam et languorem stoma- chi, contentus esto. Ubi cum fratribus preces vespertinas Deo reddideris, ad pedes præpositi perinde ut ad ipsos Christi pedes procumbes et benedictione ab eo percepta, salutatisque sanctis fratribus, tacitus, nemini verbum faciens in cellam tuam recede, obseratoque ostio, corripe primum codicem, et paginis circiter tribus attente perlectis, B sta ad orandum, psalle, et adora Deum quiete, ut a nullo audiaris. Sta autem honeste, nec cogita- tiones alibi temere vagari sine, sed eas collige. Coniunge manus, coniunge pedes æqualiter, et immobiliter, pari vestigio. Oculos claude, ne aliud aspiciant, mentemque distrahant. Mentem porro ipsam, totumque cor tuum in cœlum ad Deum eleva, inde cum gemitibus et lacrymis misericor- diam implorans. Psalmos a Patre tuo spirituali tibi constitutos habe, qui nimirum verba poenitentiae et compunctionis continent, et quotquot viribus, voluntatique sufficiunt. Necesse est enim te psal- morum hymnodiam, et crebritatem genuflexionis, tempus stationis ad vires, et robur tuum exigere, ne te conscientia tua reprehendens dicat: Adhuc stare, hymnos promere, ac Deo confiteri poteras. Adhæc sint tibi etiam preces ipsæ definitæ, matu- tinam et vespertinam ad Deum confessionem con- tinentes. Defunctus precibus, denuo paulisper lege. Deinde opus manuum capesse, et usque ad primam vigiliam finitam, id est, usque ad tertiam horam noctis hoc age. Cum sic surrexeris, et fece- ris τὸν ἄραρον, (psalmodiæ genus est) signato corpore toto super stoream tuam cuba, et usque ad noctem mediam somno capto, deinceps fac, ut tibi a principio formam tradidimus (12).

Præterea cogitata cordis tui Patri tuo spiritu- ali in horas, si potest, indica, sin minus, ne unam vesperam, dilecte, prætereas, sed post matuti- num, discussis omnibus quæ tibi contigerunt, ei expone, et fidem indubitatum erga illum habe, et si totus mundus ei convitiatur atque obtrechet, et

⁶¹ Matth. xxiii, 12.

(11) Ἐως το ξύλον τὴν ὑμνοδίαν σημάνη τοῦ λυχνεσκοῦ Syn. 7: act. 4 *sacra ligna pulsantes*; neque enim olim in hunc usum erant ara, ut hodie.

(12) Præcipiebant hæc et similia veteres illi monasticæ vitæ magistri, tum reverentiæ causa erga superiores; tum ut subditos a temerariis judicis arcerent: a quibus nemo remotius distat, quam ille qui ne de manifestis quidem iudicium ferre solet. Nec mirum, talia præcepta religiosæ vitæ professoribus fuisse data, quando et Constantium Magnum imperatorem simile quid fecisset

accepimus: *In Scripturis narratur Constantinus imperator dixisse: inquit Nicolaus primus Pontifex, in epist. ad Ludovicum imperatorem, et refertur a Gratiano d. 96: Vere si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui monastico habitu circum amicti sunt, peccantem, chlamydem meam exspoliarem, et cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Hæc de Constantino Nicolaus Pontifex, et ante eum Rufinus et Theodoretus.

quamvis tu ipse oculis tuis fornicantem videas, ne scandalizeris, nec fidem tuam in ipsum minuas, obtemperans dicenti: *Nolite judicare, et non iudicabimini*⁸². Sic te faciente, et certante quotidie, non procrastinabit Deus te visitare desuper, sed auxilium de sancto habitaculo suo mittet, et gratia sanctissimi Spiritus ejus obumbrabit tibi, brevique in instituto tuo progressus, spiritualem ætatem angebis: *Et in virum perfectum occures, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*⁸³, illuminatus, et lumine cognitionis omnes tecum familiariter versantes, tecumque sermonem conferentes, instar solis illuminans, ac Deum, qui donum sancti sui, ac vivifici Spiritus impertivit, moribus et oratione glorificans; quem decet omnis gloria, honor, et adoratio nunc et semper, et in omnium sæculorum æternitatem. Amen.

ORATIO XXVI.

ARGUMENTUM.

De pœnitentia, et principio vitæ solitariæ, et quomodo quis via et ordine ad virtutem procedens, mandatorum observatione perfectionem consequatur.

Qui omnia oculis subjecta, et insuper animam suam contempsit, ut veram ac legitimam pœnitentiam secundum Dei mandatum præstare queat, et opus istuc incepit, non a seipso id dicendum existimat: sed ubi se ad artificem peritumque virum applicarit, cum timore ac tremore multo, et contentis precibus, eidem se subjiciens, spiritualem ab eo actionum cum virtute conjunctarum disciplinam, et exercitationem, quæque pœnitenti faciendæ sint, docetur ac percipit. Timorem autem, et tremorem cum postulo intelligi, ne tali bono frustretur, et ut reprobis mandatorum Dei executor, ad ignem sempiternum condemnetur. Nam sermones ejus quasi ex ore Dei procedere arbitratur, et quasi in iisdem custodiendis, aut despicendis vita æterna verteretur, accurate eos servat. Atque ita cum fide indubitata cœperit, a promissis Dei pendens, quotidie secundum Deum proficit, et via progrediens, ætate spiritali crescit, virque perfectus in Christo Deo evadit. A quibus igitur promissis? Audi intelligenter, qualia Dominus noster Jesus Christus nobis polliceatur: *Amen amen dico vobis, quia gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente*⁸⁴. Et iterum: *Qui venit ad me (tali videlicet itinere) eum non ejiciam foras*⁸⁵. Et rursus: *Qui sitit, veniat ad me, et bibat*⁸⁶. Et: *Qui credit in me, non gustabit mortem in æternum*⁸⁷. Et alibi: *Convertimini ad me, et convertar ad vos*⁸⁸. Et: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*⁸⁹. Et alio loco: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo, et ego et Pater per Spi-*

*ritum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*⁹⁰.

Et: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se*⁹¹? In his ergo pollicitationibus, et promissis Dei, fide non dubia sperans, ut diximus, multa alacritate, cupidissimeque omnia ejus mandata impigre observat; quorum primum hoc est: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*⁹². Et rursus: *Pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui querit invenit, et pulsanti aperietur*⁹³. Post hæc docere nos volens Deus, quemadmodum, et qualibus verbis, aut operibus petere oporteat, inquit: *Qui vult inter vos esse primus, sit omnium ultimus, et omnium servus, et omnium minister*⁹⁴. *Qui enim seipsum exaltat humiliabitur: qui vero seipsum humiliat, exaltabitur*⁹⁵.

Hæc omnia, et his similia, qui jugiter animo versat, et in ipsis dies, noctesque est occupatus, intelligensque et sentiens ea reputat, et studiose facit, paulatim obliviscitur mundi, rerum mundi, rerum hujus vitæ, cognatorum, rerum denique suarum, et consuetudinem spiritalium proportionem capit. Sic autem in dies proficiens, quomodo cogitationes pristinarum, seu anticipatarum opinionum sensim recedant, experitur ac sensit. Deinde quo pacto ipsæ illæ opiniones ac sententiæ minuantur, et evollitum cor humilitatem amplectatur: et quomodo postea ipsum cor cogitationes humilitatem, ingenerantes producat. Hæc autem ita experiens, vix ad compunctionem, et fletum adducitur, sed tamen adducitur multis tribulationibus, et plus humiliatum, amplius compungitur. Nam humilitas luctum gignit, luctus genitricem suam alit, et crescere facit. Ipsa autem mandatorum per humilitatem observatio (o rem admirandam) sordes omnes ex anima eluit. Etiam omnem affectionem rationi adversantem, et concupiscentiam malam, corpoream, inquam, et ad vitam istam pertinentem expellit. Qua ratione homo secundum animam ab omni terrena cupiditate asseritur ac liberatur; non solum a vinculis corporeis, sed similiter ac si quis exuta veste totus nudus fiat. Et jure quidem. Absolvitur enim primum anima a stupore, quem Apostolus velamen appellat⁹⁶, qui Judæorum incredulorum corda occupat. Imo et nunc omnis, qui mandatis novæ gratiæ non quantum potest ac valet, et ferventi animo paret, hoc velamen parti intelligenti animæ suæ superpositum habet, et ad sublimitatem agnitionis filii Dei subvehi nequit. Sicut insuper qui secundum corpus exutus est, vulnera in corpore suo videt: ita iste vitiosos affectus animam ejus obtinentes tunc liquido perspicit (exempli causa, amorem gloriæ, avaritiam, injuriarum memoriam,

⁸² Matth. vii, 1. ⁸³ Ephes. iv, 13. ⁸⁴ Luc. xv, 7. ⁸⁵ Joan. vi, 37. ⁸⁶ Joan. vii, 37. ⁸⁷ Joan. viii, 52. ⁸⁸ Zach. i, 3. ⁸⁹ Matth. xi, 28. ⁹⁰ I Joan. xiv, 21-23. ⁹¹ Matth. viii, 11. ⁹² Matth. iii, 1. ⁹³ Matth. vii, 8. ⁹⁴ Marc. ix, 34. ⁹⁵ Matth. xviii, 12. ⁹⁶ II Cor. iii, 15.

odium fraternum, invidiam, zelum, contentionem, A existimationem præclaram sui, et reliquos deinceps) mandata ut medicinas, tentationes ut cauterem, seu ferrum chirurgicum his imponens, humiliatusque ac lugens, et opem divinam ardentem exquirens, gratiam sancti Spiritus advenientem, ac singulos evellentem perimentemque videt, donec animam ejus ab omnibus istis tandem perfecte liberam reddat. Non enim illam ex parte, sed omnino ac pure Paracletus præsens in libertatem vindicare vult. Cum nominatis enim affectionibus quidquid est mœstitudinis, quidquid negligentiae, quidquid desidiæ, ignorantiae, oblivionis, gastrimargiæ, studii voluptuarii, hæc, inquam, omnia fugat, adeoque hominem renovat, et instaurat B anima simul et corpore, ut non interitui obnoxium, et ponderosum atque crassum, sed spirituale, et expers materiæ, et jam idoneum, quod in cœlum rapiatur, corpus gestare videatur. Nec istud solum gratia Spiritus in eo operatur: sed nec intueri quidpiam sensibillum ei permittit: vel potius quasi non intueretur, ita eum has res intueri facit. Nam cum mens iis quæ intelliguntur, se dediderit, ab his quæ in sensum cadunt tota discedit, etsi ea videre et animadvertere putetur. Sic igitur in his, nempe quæ intelligentia sola perspiciuntur, immorans, secundum sanctum, ejus illa vox: *Nostra autem conversatio in cœlis est, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur* 67, ibi detinetur, illuminatur, assiduo spirituali C ætate augescens, et infantiae sensibus evacuatis, in virilem perfectionem proficiens. Quapropter juxta mensuram quoque ætatis hujus suæ, secundum vires et functiones animæ immutatur, et ad mandata Dei factitanda fortior ac potentior fit. Quæ quotidie implens, pro portione executionis eorum adhuc purgatur, splendescit, collustratur, magnorum mysteriorum revelationes meretur, quorum profunditatem nemo illorum qui in eadem puritatem ut eveherentur, non contenderunt, aut vidit unquam, aut videre potest.

Mysteria autem dico, quæ cum ab omnibus videantur, non tamen comprehenduntur. Etenim mens a Spiritu innovatore illuminata, etiam oc- D los novos, aures item novas acquirit, et de cætero non ut homo sensibilia sensibilibus, sed ut homine jam superior, sensibilia et corporea spiritualiter, et tanquam similitudines inaspectabilium, eorumque formas velut informes ac specie carentes intuetur, auditque, non ut quispiam dixerit, vocem, aut voces hominum; sed solius, et viventis Verbi, quando per humanam vocem se exeruerit. Hoc enim, et solum, tanquam notum sibi, et amicum per aures anima suscipit, eique aditum concedit, et receptum libens amplectitur: sicut ait Dominus: *Oves meæ vocem meam audiunt, alieno-*

rum autem non audiunt 68. Reliquos omnium hominum sermones audit illa quidem, non tamen admittit; nec ad se penetrare patitur; sed eos aversata, vacuos dimittit. Aliquando nec allapsu, aut pulsum eorum percipit: sed quanquam audit, veluti surdus non audiens 69, sic erga eos sese habet. Proinde cum talis evaserit, statim Deus eam inhabitat, sicutque in ea quæcunque cupiverit, etiam supra quam cupiverit. Deus enim cum sit omne bonum, animam, in qua sedem posuerit, omni bono implet, quantum potis est natura nostra impleri; Deus quippe a nulla re condita capitur ac sustinetur. Bona autem illa intelligo: *Quæ oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt* 70, ejus pater, qui talis nondum existit. Quare etiam docet hujusmodi hominem habitans in eo Deus, de futuris, et presentibus; nec verbo, sed opere, experientia, et re ipsa intellectuales ejus oculos revolans, quæcunque vult, et quæ ei conducunt, demonstrat. Cætera non indaganda, nec quærenda, nec curiose scrutanda suadet 71; quandoquidem nec quæ Deus ipsi revelat et ostendit, sine reverentia, ac libere potest perspicere atque intueri: sed quasi per transennam profunditatem divitiarum sapientiæ, et cognitionis Dei inspiciens, mox æstuat, et percellitur, semet aspiciens, et cogitans quis sit, et qualibus spectandis dignatus sit. Magnitudinem enim benignitatis Dei considerans, et obstupescens, seque talium bonorum spectaculo toto pectore indignum statuens, nec ad ea aperte respicere, nec ea pernoscere vult: sed timore et tremore, ac reverentia coarctatus exclamat: *Quis sum ego, Domine, et quæ domus patris mei* 72, quoniam talia mysteria indigno committere non dubitasti, meque tantorum bonorum tuorum non modo contemplatorem, sed etiam participem et consortem admirabiliter fecisti? Talis itaque qui jam super omnem creaturam se extulit, retro redire, et quæ creaturæ sunt, in licuriose inquirendis versari minime vult. Nam cum angelorum Dominum possidet, essentiam et naturam ministrantium ei angelorum pervestigare abhorret, cum sciat, Deo non placere, hominem quæ supra hominem sunt, per curiositatem indagare. Si enim jussi sumus divinas Scripturas non curiose discutere 73, multo magis supra ea quæ scripta sunt, nos curiosos esse omnino haud oportet. Talis Deum videt, quantum fieri potest, et quantum ipsi Deo libet, et semper eum videre studet, atque ut post obitum videat, perpetuo rogat, et sola ejus visione contentus, nihil præterea requirit. Unde nec Deum ac Dominum suum, a quo repletur lumine, et a quo vitæ sinceræ, et incorruptæ voluptatem habet, relinquere, et ad sua vincula respicere cupit. Talis visus; sive desuper a Deo illustratus, et ipse præcellentem ejus

67 Philipp. ii, 20; II Cor. iv, 18. 68 Joan. x, 16. 35. 72 II Reg. vii, 18. 73 Eccl. iii, 22.

69 Psal. xxxvii, 14. 70 I Cor. ii, 9. 71 Rom. xi,

gloriam videns, ut ab aliis qualis, et in quanta gloria sit videatur, hoc illi in mentem venire nunquam potest. Quælibet enim sancta anima omni cupiditate gloriæ vacat: siquidem regia, et læcidissima spiritus tunica ornata, et immensa Dei gloria repleta, non solum humanam gloriam pro nihilo putat, sed omnino nec ad oblatam sibi sese convertit. A Deo quippe visa, et ipsa vicissim eum videns, alium aliquem hominem videre, aut ab alio videri nunquam desiderabit.

Quamobrem obsecro vos, fratres in Christo, ne verbis duntaxat ineffabilia discere velimus, quod et docentibus et audientibus æque est impossibile. Neque enim qui quæ solo intellectu percipiuntur, et divina sunt docent, ea manifestis exemplis perspicue demonstrare, eorumque veritatem, ut in negotio aliquo solertes, ac triti repræsentare: nec qui docentur, ex verbis solis eorum quæ dicuntur evidentiam discere possunt: sed actione, laboribus et sudoribus ipsa comprehendere, et contemplari studeamus: ut si inde etiam rationes horum, velut sacra mysteria docti fuerimus, et glorificetur Deus, sic nobis habentibus, et nos per illorum cognitionem glorificemus eum, ipseque glorificet nos in ipso Christo Deo nostro; quem decet omnis gloria, honor et adoratio cum Patre, et sanctissimo ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXVII.

ARGUMENTUM

De turbida et infideli ac prava affectione. Quæ sit Dei cum filiis lucis consociatio, et quonam pacto in illis efficiatur. Ad finem, sacerdotio indigne fungi audentium insectatio.

Semper, et omni tempore, fratres, inter se contraria sunt lux et tenebræ, fides et infidelitas, cognitio et ignorantia, charitas et odium. Nam cum ab initio dixisset Deus, *Fiat lux*⁷⁶, eaque exstisset, illico tenebræ evanuerunt. Luce occidente, statim nox rediit. Adam vero fide in Deum munitus ac tutus, immortalis gloria circumfluebat, et in paradiso erat. Ab inimico autem ad infidelitatem detortus, morte damnatus, et paradiso exturbatus, pro divina spiritualique cognitione carnalem cognitionem recepit. Etenim oculis animæ orbatus, vitæque perenni spoliatus, corporeis oculis cœpit aspicere, iisque sensibilibus et aspectabilibus ex commotione adjectis, cognovit Evam uxorem suam, quæ concepit et peperit Cain⁷⁶. Porro talis cognitio vere omnis boni ignorantia est. Nisi enim prius divinam cognitionem visionemque perdidisset, nunquam in istam cognitionem devolutus esset. Sic deinde et Cain filius ejus, nisi ante in odium, et invidiam erga Abel fratrem suum exarsisset, non ei necem attulisset. Quotquot igitur tenebris ab

A ortu insitis obsidentur, et in lumen quod animo et cogitatione cernitur quodque primus ille pater amisit, aspectum defigere nolunt, hi in ipso lumine natos, et quæ luminis sunt disserentes, eorum sermonibus perculsi, pro hostibus sibi adversariis ducunt. Quemadmodum namque radius solis, ubi domum quampiam obscuram intraverit, tenebras ut iaculum penetrat, ac dissecat: ita spiritualis, et sancti viri a Deo inspirata oratio, cen gladius anceps cor hominis carnalis consauciat, idque ad contradictionem et odium, præ ignorantia, et infidelitate concitat: *Qui autem existimat se aliquid scire, cum nihil sciat*⁷⁶, etiamsi angelum de cælo ad se descendentem viderit, ut malum dæmonem adversatur: et quamvis Apostolum, quamvis prophetam Dei, etiam ipsum ut alium quemdam Simonem Magum abominatur; et quod extremæ stoliditatis est, cæcus videntem ut cæcum ducit quique ipsemet revera nugator est, ejus verba pro nugis habet. Et quomodo cæcus, si qui noctu sæpius affirmant solem lucere, fidem eis adjungit, et rursus in meridie lucem esse dicentibus non credit, suspicans se ab utrisque decipi: et sive lucem in die, sive tenebras in nocte sibi prædicantes ambiguus rejicit: ita qui in tenebris animi perturbationum sedent, sensumque ignorantia obsecatum habent, vel potius, qui sensum Christi non habent, ipsius sensum habentem, velut ejus expertem, et non habentem velut ejus competentem reputant. De quibus bene David propheta: *Stultus, et insipiens peribunt*⁷⁷. Quocirca tales totam divinam Scripturam secundum proprias ipsorum concupiscentias depravant, et pro vitiosis eorum affectibus, quos in ipsa non inveniunt, sed adulterantes eam patiuntur, corrumpunt. Cedo igitur, qui de rebus perperam indicant, nec præ arrogantia doceri se sinunt, et cæci sunt, recte unquam per semetipsos sensus lucis cognoscent? Oculis captus, nec lucem intuens, qui tandem litteras in luce leget? Qui vero cæcus est sensu, et Christi sensum in se non habet, quomodo in lumine Christi sensus repositos ac reconditos videre, et expendere potest? Talis, quamvis millies exterioribus oculis scripta sensum moventia legat, nunquam, opinor, spiritualia, et materiæ expertis, et luci similia in nocturno ac tenebroso loco videre queat. Nemo itaque vos seducat. Deus lux est, et quibus conjunctus fuerit, cum iis pro gradu puritatis ipsorum claritatem suam communicat. Atque tunc extincta lampas animæ, id est, mens divinum ignem se circumplexum, et redaccensum esse cognoscit.

O mira res, homo Deo spiritualiter corporaliterque unitur (13): siquidem anima non a mente, nec ab anima corpus sejungitur, et unione essen-

⁷⁶ Gen. i, 3. ⁷⁶ Gen. iv, 1. ⁷⁶ I Cor. viii, 2.

⁷⁷ Psal. xlviii, 11.

(13) Verba Græca sunt ista: Ὁ τοῦ θαύματος, ὅτι ἄνθρωπος θεῖν ἐνοῦται πνευματικῶς, καὶ σω-

ματικῶς, εἴπερ οὐ χωρίζεται τοῦ νοῦ ἡ ψυχὴ οὐδὲ τῆς ψυχῆς τὸ σῶμα, ἀλλὰ τῇ οὐσιωδῶς ἐνώσει γίνε-

tiali, etiam homo per gratiam τρισυπόστατος sit, A et unus per adoptionem Deus, ex corpore videlicet et anima, et (cujus factus est particeps) divino Spiritu constans, impleturque tunc illud Davidis prophetae: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes*⁷⁸. Filii Excelsi secundum imaginem videlicet, similitudinemque Altissimi: divina progenies ex divino Spiritu; quibus dixit merito Dominus, semperque dicit: *Manete in me, ut fructum multum afferatis*⁷⁹. Fructum intelligit eorum copiam, qui apud ipsum salvantur: *Palmes, inquit, nisi manserit in vite arescit, et in ignem mittitur. Manete igitur vos in me, et ego in vobis*⁸⁰. Quomodo igitur maneat in nobis, et quomodo vicissim nos maneamus in ipso, Dominus ipse docuit illis verbis, *Tu, Pater, in me, et ego in te, et hi in me, et ego in illis*⁸¹. Et istud volens confirmare, iterato ait: *Hi in me, et et ego in illis, sic ut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint*⁸². Adhuc porro, ut audientibus plenam fidem ac certam faciat, hæc adjungit: *Sicut tu me dilexisti, ego illos dilexi: et gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut nos unum sumus*⁸³. Patet ergo, sicut manet Pater in Filio suo, et Filius in sinu Patris, secundum naturam: sic etiam qui in veritate crediderunt, et per Spiritum sanctum regenerati sunt, Christique ac Dei per ejus donum facti sunt fratres, et filii Dei, et adoptione dii, manere eos in Deo per gratiam, et Deum in illis.

Quam ob causam qui tales non evaserunt, nec C actione, et cognitione, spectationeque universo sunt immutati, quomodo seipsos appellare Christianos non verentur? quomodo os aperire, deque occultis mysteriis, velut super stratum neglectim jacentes impudenter loqui audent? quomodo inter Christianos, et spirituales se numerare non pudet? quomodo sacerdotum assessores, corporisque et sanguinis Domini sacrificii, et ministri esse non perhorrescunt? Prorsus mirari satis non queo. Sed nimirum cæcitas mentis, ut dictum est, illiusque comites stupor et stultitia, et hinc nascens arrogantia, tale aurum, pretiosissimumque lapidem ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ut lutum conculcare facit. O audaciam horribilem, Cujus impulsu tanquam sublimem gradum conscendunt, ut ibi stantes, infimæ multitudinî excellentes,

et conspicui appareant. Quis ergo Christianus hosce Christianos nominabit?

Verum hactenus contra eos qui omnia scire et dicere conantur, et existimant se aliquid esse cum nihil sint, velut in cippo quales sint Christiani docuimus: ut sese cum archetypo comparantes, quantum a germane Christianis absint, intelligant. Ad vos autem Christi servos, et discere cupientes, paratosque ad audiendum, universitatis Dominus per sancta Evangelia sua clamat: *Dum lucem habetis, ad lumen currite, ne vos tenebras comprehendant*⁸⁴. Currite per pœnitentiam in via mandatorum ejus, currite. Currite dum durat ejus illuminatio, priusquam nox mortis vos comprehendat, et ad tenebras sempiternas amandemini. Currite, quarite, pulsate, ut janua regni cœlorum vobis aperiatur, et sitis intra illud, et ipsum intra vos possideatis. Qui enim ante de hac vita exierunt, quam id acquisissent, ubi tandem ad mortuos profecti illud reperient? Illic ergo petere, et querere, et pulsare in pœnitentia et lacrymis jussi sumus; et sic facientibus, Dominus id se nobis daturum est pollicitus. Quod si hoc facere, et Christo Domino obedire detrectabimus, ut adhuc superstites ab ipso regnum cœlorum intra nos accipere festinemus, nonne cum illuc excesserimus, merito dicentem nobis audiemus, quid nunc quæritis, quod a me oblatum vobis accipere noluitis? Nonne sæpenumero hortante me, ut laboraretis, et id a me sumeretis, vos recusastis, et contempsistis: pereuntiumque, ac terrenorum voluptatem prætulistis? Quibus ergo factis, aut qua oratione id in posterum invenire poteritis? Quapropter, Patres et fratres mei, quæso vos, omni sedulitate mandata Dei nostri custodiamus, quo vitam regnumque æternum consequamur; et ne audiamus nunc quidem: *Qui non obedit Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum*⁸⁵; in futuro autem sæculo, *Nescio unde sitis*⁸⁶: sed benedictam potius illam vocem excipiamus: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis præparatum*⁸⁷, quoniam salutem vestram esurientem me per observationem mandatorum meorum pavistis, potastis, vestivistis, collegistis, et venistis ad me, purgate corda vestra ab omni macula, et sordibus peccati. De reliquo fruimini bonis meis cum

⁷⁸ Psal. LXXI, 6. ⁷⁹ Joan. xv, 4. ⁸⁰ Ibid. 22. ⁸¹ Joan. xii, 35. ⁸² Joan. iii, 36. ⁸³

⁸⁴ Ibid. 4. ⁸⁵ Joan. xvii, 21. ⁸⁶ Ibid. 23. ⁸⁷ Matth. xxv, 12. ⁸⁸ Ibid. 34.

ται τρισυπόστατος κατὰ χάριν, καὶ ὁ ἄνθρωπος, εἰς θέσει θεός ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς, καὶ οὐπὲρ μετελήφθη θείου πνεύματος, καὶ πληροῦται τηλικαῦτα τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ προφήτου Δαβὶδ Ἐγὼ εἶπα Θεοὶ ἐστέ, καὶ υἱοὶ Ὑψίστου πάντες, καθ' εἰκόνα θελάδῃ, καὶ καθ' ὁμοίωσιν τοῦ Ὑψίστου, γεννήματα θεῶν ἐκ τοῦ θεοῦ Πνεύματος. Occurrit, quod Iureconsultus, ff. De legibus, monet: *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur. Et: In ambigua voce legis, ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret: præsertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit. Idem ego in hac*

Simonis oratione faciendum esse dico. Nam illud ὁσιωδῶς ἐνώσει, nec ad Deum, nec ad gratiam referendum est. (Neque enim homo justus aut cum Deo, aut cum gratia essentialiter unitur) sed ad solam conjunctionem corporis et animæ; quæ utique essentialis est; et quia corpus, anima et gratia sunt res trimæ in eodem composito; ideo ait hominem per gratiam fieri θεὸν τρισυπόστατον. Ubi vox τρισυπόστατος improprie et secundum similitudinem accipi debet; ut ipse Simeon satis superque declarat.

voluptate inexplicabili, cum vita immortalis ac sempiternae, qua contingat nos omnes potiri, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium cum Patre principii experte, et sanctissima vivificoque Spiritu nunc et semper, et per infinita saecula. Amen.

ORATIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

De corruptoribus ac pestiferis hominibus fugiendis, deque repudiandis eorum sermonibus, et cultura virtutis arripienda. De iudicio libertatis animae, et quis crucem suam tollens, Christum sequatur. Quemadmodum fideles Dei bonis ineffabilibus tum in hoc tum in futuro saeculo fruuntur. De justo Dei super justis, et peccatoribus iudicio.

Quisquis Deum invenire desiderat, abneget semetipsum, et animae suae ne parcat: sed inimicitias inter se, et omnes secundum carnem ambulantes ponat, ne alicujus horum sermonibus hortatoriis incitatus, retro convertatur. Ne cum illis in cathedra sedeat; nec colloquia cum illis mala serat, per quae virus in animam infundatur, et ipse prioribus nequam consiliis, cogitationibusque immorari cogatur. Homo cum hamo escam time; audi me, et procul ab illis recede ne animam tuam iterum ad inferos deducas. Mentem tuam tige, et constabili, et ne illam ad vana, et inania audienda vagari sinas. Ne pedem referas. Ne piger sis, neve socordia gravere, et opprimere. Ne des somnum oculis tuis, ne guttur tuum alicujus cibi suavitate demulceas, donec videas per quid, et propter quid vocati simus, et quorsum secundum scopum tuum festines. Hujusmodi cogitationibus, cum te subierint, locum non relinques. Quid tibi labore, et ista importuna defatigatione opus est? Tempus jam implevisti, haec bis terque faciens, nec ullum inde fructum perspexisti. Ne, frater mi, ne hoc laqueo impliceris, neve prodas salutem tuam; sed impensius ac generosius ad virtutis opus incumbere potius, Patrumque tuorum secundum Deum sermonibus, et institutionibus ne disside. Constitue igitur apud animum, a vita citius, quam ab hac vitali inquisitione discedere. Quod si ab initio nihil cunctatus fecisses, benignus Deus non te despexisset, tibi que desiderii tui fructum pro certo concessisset.

Media nocte experrectus, memento ejus qui dixit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia justitiae tuae*⁸⁷. Et gratias age Deo, qui te ad laudes ipsius canendas e somno excitavit; gaude, et exulta, quia dignus es habitus, qui cum sanctis angelis Deum concelebres. Christianus enim peccator, de flagitiis anteactae vitae dolens, et vitam Deo gratam instituens, nisi ad divinas synaxes, et sacras psalmodias, et preces laetitiam, alacritatem, taleque studium, et attentionem, quantam et qualem antea ad voluptates, vitaeque improbitatem, ostendit; sed velut laborans

adhuc, et quodam onere pressus, vim ut uno verbo dicam, ac tyrannidem se perpeti existimat, ac proinde invitus his fungitur, ne is e manibus diaboli se evasisse, verum improbi tyranni imperio etiam num subjectum intelligi arbitretur. Ast ubi cum gaudio et jucunditate animi se orantem ac psallentem, mentemque omnia hujus vitae blandimenta, et quidquid ea in pretio habet, execrantem cognoverit, tum demum sub Christi regnum se successisse credat. Hoc redemptionis et libertatis manifestum argumentum est, de qua scripsit Apostolus: *In libertate, qua nos Christus liberavit, stete*⁸⁸. Ergo unusquisque ad hanc libertatem adipiscendam properet, eamque a Christo flagitet. Sin consuetam synaxin moleste fert, et longitudinis hymnorum, qui Deo canuntur eum taedet, et frangitur, profecto nescit: *Quam dulcia sint eloquia Dei in faucibus diligentium eum, et super mel ac favum in ore cognoscentium ipsum*⁸⁹: sed totus caro, nempe carnali praeditus animo, et magis carnali sensu, non potest spiritualiter gustare, quae a Deo data sunt nobis beneficia, verum omnia divina ei amara videntur; et illud: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus*⁹⁰, ignorat. Quod qui evidenter non scit, a charitate, et dulcedine Dei alienus est. Qui porro gustus horum exors est, proh dolor! Dei inimicus, et a regno coelorum extraneus, ac peregrinus est. Quam enim, quae so, aliam spem habebit, aut cujus alius dilectionem implicabitur, aut a quo consolationem seu hie, seu post obitum inveniet? In die vero iudicii, quid respondebit, quando Christus veniet reddere unicuique secundum opera sua⁹¹: quando a monachis, qui se illi coram multis testibus aggregarunt, pacta quae ad sanctum altare, et coram sanctis angelis ejus praestituros ac servaturos se pepigerunt, requiret.

Quid enim interrogati respondemus? Annon, ad sanctum altare, et ad sacrum hunc conventum, vitam monasticam, et vitae institutum angelicum sectari desiderantes nos accessisse? Quid enim ad singula referimus? nonne illud: *Etiam, venerande Pater?* Sacerdos autem, quid rursus nobis dicit? Scitote, fratres, venisse vos, et militibus ac famulis Christi regis caelestis adnumeremini, ideoque ad tentationes vos comparate. Videbitis enim jam hinc inimicum omnes artes suas adversum vos ferventius experiri. Oportebit igitur et esurire, et sitire, et algere, ignominiam accipere, conspui, alapis caedi, subsannari, et quaevis tristitia propter Deum perferre. Quid nos tum ad ista? nonne passuros et toleraturos omnia promittimus, et illud solemne: *Etiam, reverende Pater*, ad omnem interrogationem per patientiam ferendorum incommodorum enuntiamus? Nonne continentiam, vigiliam, obedientiam usque ad mortem servaturos, praeposito, totique fratrum collegio coram

⁸⁷ Psal. cxviii, 62. ⁸⁸ Galat. iv, 31. ⁸⁹ Psal. cxviii, 103. ⁹⁰ Psal. xxxiii, 9. ⁹¹ Matth. xvi, 27.

Deo et angelis promittimus? Quam ob causam vero militare, Christique bellatoribus accenseri volumus? nonne ut contra hostes sub aspectum non venientes pugnaremus, ut contra concitatos animi motus bellum capesseremus? Et nunc, perinde ut si pacta conventa nemo a nobis exacturus sit nos gerimus: solutique timore Dei et mandata ejus contemnentibus vivimus. Mihi equidem in mentem venit admirari, quomodo in tantam caliginem precipitaverimus, omniaque cum animorum nostrorum detrimento faciamus: cumque nosmetipsi jugulemus, id tanquam vivi ac superstites non curemus: et cum ipsi nos peccatorum vinculis constringamus, etiam gaudium agitemus, committamusque omnia quæ Deus odit, et quæ in gehennam ignis animas nostras deturbent, et ea vincula a nobis auferentes, quasi truculentæ bestię, devorare conemur. Nam si a quopiam fuerimus impediti, ne quid contra animas nostras moliamur, illum more canum rabidorum allatramus, et convitiis incessimus, nec desinimus, donec re perpetrata animis nostris exitiam conflaverimus. Postmodum ad hujusmodi perversitatem assuefacti, naturaliter perversi, atque improbi reddimur, nec amplius cælo caput tollere libet. Ubi post hominum memoriam similis machinatio audita est? Quis dæmon modum perditionis hoc majorem adversum animas nostras excogitabit imo certe, quid hoc amplius contra nos dæmones cum omni cura, et sollicitudine invenire poterunt? Monachos fore nos spondimus, et ea supra mundanos improbitati nos alligavimus. Ad famam, sitim, afflictionem sustinendam, ut ante dicebamus, descripti sumus, et propter unicum panis frustum (quod forte extra definitum cibi sumendi tempus requirimus) verbis velitari, et probra jactare non erubescimus. Omnibus quæ in mundo sunt, renuntiare venimus, parentibus, inquam, fratribus, et amicis, et tamen illos de monasterii panibus alere potius non cessamus. Mundum ut hostem fugimus, et interim mundanos, et quæ mundi sunt, plus quam Christum ipsum diligimus.

Qui autem assequi vult quæ cupit, et desiderat, bona Dei videlicet, et ex homine in angelum terrestrem migrare, afflictionem corporis amabilium, malorum perpassionem amplectetur, tentationes ut omnis boni sibi conciliatrices haud aspernabitur. Ut enim aurum multa infectum ærugine, nisi in prunas conjiciatur, et malleis tundatur, purgari aliter, atque in pristinum fulgorem restitui non potest: sic anima quoque peccati ærugine cooperta, et ad summum facta inutilis, alia via purgari, et antiquam recuperare pulchritudinem nequit, nisi tentationibus jactetur, et tribulationum conflaturam subeat. Nam et istuc Domini nostri verbum subindicat: *Vende facultates tuas, et da pauperi-*

*bus, et tolle crucem tuam, et veni sequere me*²⁵, tentationes, ac tribulationes crucis nomine insinuans. Dare porro omnia, pecunias ac possessiones, incursibus autem tentationum reliquorum acerborum ac molestorum non excelso animo resistere, animæ ignavæ, ac sua commoda non intelligentis mihi videtur. Nihil enim pecuniis tantummodo aliisque rebus abjiciendis ac deferendis, et ad vitam solitariam confugiendo proficitur, nisi in tentationibus, et tribulationibus, et secundum Deum molestiis usque ad finem perseveres. Neque enim Christus Deus noster in rerum nostrarum abjectione, sed in patientia nostra animas nostras possessuros affirmavit²⁶. Facultatum in pauperes distributionem, et fugam sæculi bonam atque utilem esse constat: verumtamen sola per seipsam, extra tentationum tolerantiam, hominem secundum Deum perfectum reddere non potest. Quod ut ita se habere, et ita Deo placere credas, audi ipsius verba ad divitem: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et veni sequere me.* Vocabulo crucis, ut dictum est tribulationes et tentationes obscurius significat. Quoniam enim *regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*²⁷, aliterquo fidelis in ipsum, nisi per angustam portam tribulationum, et tentationum introire nequit, merito divina Scriptura præcipit: *Contendite intrare per angustam portam*²⁸. Et iterum: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*²⁹. Et: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum, ut et alibi id Scriptura testatur*³⁰. *Fili, accedens ad servitatem Dei præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, et sustine*³¹. Et Apostolus: *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis*³². Et alio loco: *Omnia quæ tibi inferuntur, ut bona suscipe, sciens sine Deo nihil fieri. Qui enim fortunis suis in egentes coilatis e mundo et rebus ejus recedit, in spe mercedis, et voluptate multa gestat conscientiam. Et aliquando vana gloria mercedem furatur. Qui vero, postquam omnia dedit pauperibus, etiam molesta sustinet, et gratias agit, et adversa patienter perfert, in eo quidem maximam acerbiter, laborem, ac dolorem sentit: sed præsens ac futurum premium, ingentemque retributionem pro perfugio habet; utpote qui passiones Christi imitetur, cumque in diebus tentationum, et adversitatum irruentium sustineat, et expectet. Quocirca oro vos, fratres in Christo, demus operam secundum vocem Domini, Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ut postquam mundo, et his quæ in mundo sunt valediximus, per angustam portam intremus, quæ carnalis nostri sensus, et voluntatis præcisio, et fuga est. Nisi enim carni, concupiscentiis, ac voluntatibus ejus moriamur, remissionem, abso-*

²⁵ Matth. xix, 21. ²⁶ Luc. xxi, 19. ²⁷ Matth. xi, 12. ²⁸ Matth. vii, 13. ²⁹ Luc. xxi, 19. ³⁰ Act. xiv, 21. ³¹ Eccl. ii, 1, 2. ³² Hebr. xii, 5.

lationemque malorum, et libertatem, et sequentem a sancto Spiritu consolationem adipisci non poterimus : quæ nisi superveniat, nemo Dominum nec in hoc nec in futuro sæculo videbit. Nam recte te fecisse, cum omnes facultates tuas in pauperes distribuisti (si tamen nihil tibi exemplo Ananiæ illius reservasti ¹) et adhæc mundo, et iis quæ in mundo sunt renuntiasti, desertisque hujus vitæ curis ad portum æternæ vitæ cucurristi, speciem et figuram pietatis indutus, ego quoque non inficior, et te ob hoc studium laudo : sed insuper prudentiam carnis velut tunicam exuere, et secundum stolam, quam per Christum induisti, mores animæ, ipsamque spirituales prudentiam possidere necesse est : neque hoc solum, sed etiam per pœnitentiam tunicam lucidam, qui est ipse Spiritus sanctus, superinduere ; quod nisi per constantem mandatorum observationem, et tolerantiam tribulationum non est ut fiat. Pressa enim per tentationes, ad lacrymas commovetur ; lacrymæ cor purgantes, templum, et diversorium Spiritus sancti efficiunt. Nec enim nobis ad salutem, et perfectionem solus vestitus, et exterior statûe ornatus sufficit : sed ut exteriorem, ita interiorem homineam nostram ornare amictu Spiritus, totosque et integros cum anima, et corpore Deo se offerre oportet. Et corporalem quidem exercitationem propter virtutis labores assumere, ut egregie molestis secundum Deum assuescamus, et feramus ingenue amaritiam jejunii, difficultatem continentiæ, necessitatem vigiliarum, afflictionis omne genus : pietate autem spiritus erudire animam ad sapiendum quæ oportet sapere, et meditandam semper vitam æternam, esse humilem, mitem, contritum, compunctum, lugentem assidue, et lucem spiritus per preces ad se elicientem, quæ et adesso illi per pœnitentiam ferventissimam consuevere, purgatæ per uberes lacrymas, sine quibus nec tunicam ejus mundari, nec in sublime contemplationis eam ascendere licet. Nam ut vestimentum e cœno alicunde, et sterquilinio nimium quantum defœdatum, nisi aqua multa, et crebro pedibus calcatum non purgatur : sic ex animæ vestis ex luto, et sterquilinio peccatricum affectionum turpata, nisi per ubertim fluentes lacrymas, tentationumque, et tribulationum tolerantiam a sordibus non abluitur. Nam cum a corporis nostri substantia naturaliter duæ fluxiones existant, una superior lacrymarum, altera inferior, a facultate genitali : et hæc quidem si contra quam natura, et legibus institutum est, fiat, animam contaminet ; illa, si ex pœnitentia procedat, eandem purget, eos qui turbulenta, et cum peccato conjuncta cordis motione, cupiditatum a ratione alienarum formas sibi inculpserunt, et ita animam inquinaverunt, plurimis lacrymis mundari, tunicamque animæ purissimam acquirere oportet. Alioqui videre Deum, ipsum lumen, quod

A cujusvis nominis per pœnitentiam ad se venientis cor illuminat, est impossibile : siquidem mundi corde Deum vident ².

Enlatur itaque patres, fratres, et filii mei per diligentiam in moribus, et jugem occultarum cogitationum confessionem cor purum obtinere. Quæ enim frequenter, et quotidie sit a nobis harum confessio, si ex animo pœnitente procedat, respicientiam dolorumque in nobis factorum, meditationumve operatur, qui ex intimis animæ lacrymas eliet ; lacrymæ animam purgant, et ingentia peccata delent ; quibus deletis, sancti Spiritus solatilis permulcetur, ex compunctione fluente quodam dulcedinis irrigatur, unde quotidie, ita ut intelligentia percipiatur, pinguescit, et fructus spiritus alit ; quos tempore congruenti ceu frumentum multo cum fœnore ad se in vitam immortalem, ac sempiternam citra ullam absorptionem nutriendam offert. Cum hucusque studio suo præclare pervenerit, Deo familiaris, et domicilium habitaculumque sacrosanctæ Trinitatis evadit, pure intuens Deum fabricatorem suum, et cum ipso versans quotidie, e corpore, et mundo, et aere isto excidit, et virtutibus, atque alis charitatis a Deo elevata in cœlum ascendens, cum omnibus justis a laboribus suis requiescit, et est in infinito ac divino lumine, ubi apostolorum Christi, martyrum, sanctorum et omnium supernarum virtutum ordines una choris indulgent. Hunc itaque statum, fratres in Christo, nos quoque complectamur ne sanctis Patribus nostris inferiores simus : sed ut per exercitationem rerum honestarum, et per obedientiam Christi mandatorum, in virum perfectum evadamus, in mensuram ætatis plenitudinis Christi ³. Nihil enim prohibet, si velimus. Sic et Deum nobis ipsis glorificabimus, et Deus a nobis lætitia afficietur, et ex hac vita demigrantes cum inveniemus, qui nos ut magnus Abrahamæ sicut in regno cœlorum excipiat, et foveat. Et qui in medio tumultu, et strepitu, et qui in cœnobis, et qui in montibus, ac speluncis sunt, mandatisque Christi convenienter vivunt, salvantur, et magnis a Deo donis dignantur : *Voluntatem enim timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvabit eos* ⁴. Ubi timor, ait divinus Gregorius, ibi mandatorum custodia ; ubi mandatorum custodia, ibi carnis purgatio ; nempe nubis obtenebrantis animam, nec sipientis divinum radium clare intueri. Ubi purgatio, ibi illuminatio. Illuminatio autem desiderii impletio his, qui maxima, aut maximum, aut plusquam magnum appetunt. Itaque cum hæc dixit, finem non finem esse omnis animæ illuminationem Spiritus significavit, quam adeptus quis, finem quidem, et extremum sensibilem omnium comprehendit, principium autem cognitionis spiritualium invenit. Quamobrem uti cursum mandatorum Christi patienter laborando curratis oro, et

¹ Act. v, 1 seqq. ² Matth. v, 8. ³ Ephes. iv, 15. ⁴ Psal. cxliv, 19.

facies vestræ non confundentur : sed sicut cuilibet patienter, constanterque pulsanti portas regni sui aperit, et dat petenti Spiritum rectum, et sanctissimum, nec fieri potest, ut tota anima quærens non inveniat, et ditescat divitiis donorum ejus : sic et nos in bonis ejus ineffabilibus, nunc quidem ex parte, cum intelligentia, et cognitione præstantiorum ; in futuro autem sæculo perfecte et consummate cum sanctis omnibus delicias nostras habeamus. Æterna quippe bona a Deo electis, et salvandis partim jam nunc pignora dantur, ipsis proposita, revelata, apparentia, et visa, partim post mortem, et resurrectionem contingunt.

Discite igitur, dilecti fratres, thesaurum inexplicabilem, super omnem principatum et potestatem, cujus hæreditatem justis adituri sunt, non in futuro sæculo duntaxat, sed jam quodammodo ante oculos, et manus, et pedes nostros propositum esse ; quem nos animæ oculos præ ignorantia, infidelitate, sensu perturbationum, quasi quadam caligine offusi, et cæcati, non videmus : Venite, credite thesaurum istum, quem vobis prædico, lumen mundi esse : *Ego sum resurrectio et vita*⁵. *Ego sum granum sinapis*⁶, quod in terra absconditur. *Ego sum margarita*⁷, quæ a fidelibus emittitur. *Ego sum regnum cælorum*⁸, quod intra vos latet. Et quemadmodum cernor ab his qui me nunc quæsierunt, et invenerunt : sic fulgebo, in illis, et super omnes cælos residens. Ego qui etiam hic natura a vobis non capior, et invisibilis videor, non quantus sum me ostendens, quanquam totus maneo qui sum, dum videor ; sed quantum me videntium natura, et virtus capit. *Ego sum fermentum*⁹, quod acceptum anima misit in tres partes suas, et fermentatur ipsa, et tota mihi similis efficitur. Quale enim fermentum, talis fit etiam farina, quæ huic cum aqua, et sale miscetur. Qui enim, inquit, mecum est, conaturalis Pater meus, et ejus Spiritus, idonei natura sunt, ut pro aqua, et sale sint. Ego pro sensibili intelligibilis paradisi servus meus factus sum, in quo colloco omnes credentes in me, et regeneratos per Spiritum : qui peccare amplius non possunt ; nec princeps hujus mundi quidquam adversum illos valet. Ego enim sum in illis, et ipsi in me, et vincunt mundum, quia extra mundum sunt, meque fortissimum omnium secum habent. Ego sum fons lucidus immortalis fluenti ac fluvii, in quo non post mortem, sed in horas, qui me toto pectore diligunt, aqua ex me defluente lavantur, corpusque et animam ab ea labe purgant, et toti instar lampadis, et in speciem radii solis micant. Ego sum qui in horas, ut mane, in his exorior, et videor sol per intellectum ; sicut olim quoque in prophetis manifestabam meipsum, ipsique videntes laudabant, et

A invocabant me semper. *Mane*, inquit David, *exaudi me*¹⁰. *Mane astabo tibi et videbo*¹¹. Et alius : *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius oriatur*¹², quando et tu videlicet mandata mea custodiveris. Et quid attinet omnia percensere, quæ Deus salutis nostræ sitiens ad nos loquitur ? nisi omnino, ut per omnia cognoscatis et credatis, sedentes in tenebris magni luminis fulgorem videre oportere, si quidquam vident. Et ne qui de vobis cogitent, fulsisse quidem, sed qui adhuc in corpore sunt homines, ipsum videre non posse. Si enim hoc fieri non poterat, quid luxit, et lucet adhuc, cum ab eis non cernatur ? Imo vero lumen semper erat, et semper luxit, et lucet in his qui purgati sunt, et in tenebris apparebat, et tenebræ id non comprehendebant¹³. Et nunc lucet, et tenebræ id non comprehendunt, sive non tangunt. Quod autem dixit, quia ortum est populo sedenti in tenebris¹⁴, id est, modo placuisse revelari iis in quibus et manifestatur. Alii enim in tenebris versantes, illud non comprehendunt. Invisibilis enim, tunc quidem per corpus visus est omnibus, qui aspexerunt cum credentibus et non credentibus. Etiam divinitatis ejus lumen cognitum et revelatum est solis illis per opera fidelibus, qui et dicebant ei : *Ecce nos, Domine, reliquimus omnia, et secuti sumus te*¹⁵. Quod ait, *omnia*, ea voce pecunias, possessiones, voluntates, contemptum hujus vitæ et abominationem ejus, propter gustum subsistentis in nobis et æternæ illius vitæ complexus est. Hoc enim plane dulcius est, et anteponendum omnibus, quod est ipse Deus. Hæc, fratres mei, sunt Dei admirabilia. Miscreamur itaque nostri ipsorum quæso, et hujus vitæ participes fieri elaboremus, quæ est lumen Dei, ipse Spiritus sanctus, sui participes sanctificans, et deos per adoptionem faciens. Credamus toto animo in Deum, terram, et omnia prætereuntia relinquamus, ad illum accedamus, ei adhareamus, quoniam adhuc modicum, et cælum ac terra transibunt, et extra illum non est status, nec terminus, nec comprehendi potest, quo peccatores decidant. Deus enim capi non potest, nec intellectu comprehendi. Quis igitur locus est, dic

D mihi, regno ejus exidentium.

Cogor lamentari, et cor meum comedo, et maceror, cum cogito Dominum tam munificum et humanum, ut propter solam in se fidem talia nobis largiatur, quæ mentem, auditum, et cogitationem superant, nec in cor hominis ascenderunt unquam ; eos autem velut bestias præferre terram solam, et terrena, nobis per multam misericordiam ad sufficientem corporis usum impertita, ut ex his moderate et pro portione alamur, et anima nostra citra impedimentum ad superna gradiatur, ipsa quoque intellectuali pastu ex Spiritu, juxta men-

⁵ Joan. xi, 25. ⁶ Matth. xxiii, 31. ⁷ Ibid. 46. ⁸ Luc. xvii, 20. ⁹ Matth. xiii, 33. ¹⁰ Psal. v. 4.
¹¹ Ibid. 5. ¹² Isa. lviii, 8. ¹³ Joan. i, 5. ¹⁴ Luc. ix, 2. ¹⁵ Matth. xix, 27.

suram purgationis et ascensus sui nutrita. Hoc enim est homo, et hoc sine conditi, et ob istud in mundum procreati sumus, ut hic paucis affecti beneficiis, per gratiarum actionem, et piam erga Deum affectum, majoribus, et æternis illic perfruamur. At enim, proh dolor! nihil prorsus de futuris solliciti, ingrati etiam de his sumus, quæ in manibus habemus, et dæmones imitamur, vel dæmonibus etiam, si vera dicenda sunt, deteriores sumus. Atque ideo et atrocius supplicium nobis debetur, quanto et præstantioribus beneficiis cumulati sumus, et Deum propter nos similem nostri, solo peccato excepto, factum cognoscimus, et nos ab errore et peccato liberaret. Sed quid de his sigillatim verba facere opus est? Profecto, verbo tantum credentes; factis negamus, ut etiam beatus Paulus infidelitatem reprehendens ait: *Confitentur se Deum nosse, factis autem negant, abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi*¹⁶. An non ubique Christi nomen personat? in urbibus, in vicis, in cœnobis, in montibus. Quære, si placet, et scrutare diligenter, an servent mandata ejus, et vix invenies unum e millibus, ut dilectus ille discipulus Joannes ait: *Omnis qui peccat, non vidit Deum, neque novit eum*¹⁷. Et iterum: *Omnis qui facit peccatum, ex diabolo est*¹⁸. Ubi igitur, bona quæ sunt in manibus nostris relinquentes, inanibus autem, et fluxis dediti et affixi, spem habemus?

Ut porro ad singulos vanitati adhærentes sermonem convertam, age, quo pacto dicis, hæc omnia novi, et me mortalem, et umbram esse quæ videntur, et mortem improvisam, et gloriam justorum æternam, et confusionem peccatorum cavere sine, et interim ab improbitate non desistis? Si enim vides, quomodo tanquam cæcus offensus, totum corpus, totamque animam denigratus es? Si nosti meliora, quomodo quasi expertis sensus, deteriora sequeris? Si nosti omnia esse umbram, et omnia præterire quæ videntur, non erubescis cum umbra colludere, et fluentia pro thesauro colligere? non advertis te, ut puerum, in vas contractum haurire? et te putas tibi amicissimum. Perabsurdum sane et grave est, putare, et existimare; nam per hæc esse aufertur. Homo, credin' Christum esse Deum? Si credis, time, et mandata ejus serva. Si non credis, at saltem dæmones ipsos, quos forsitan fide digniores existimas, interroga. Disce ab iis, a quibus in servitutem redactus es, et quos sequeris, quoniam non est alius Deus præter illum, cui nullus assimilatur, nec comparari potest, omnium enim Dominus ipse est, omnium rex, conditor lucis, et vitæ arbiter. Ipse lumen illud ineffabile, inaccessible, qui solus est. Ipse in adventu suo dissipabit a facie sua inimicos suos, et qui non obediverunt mandatis ejus, quomodo

noctis caliginem exorients sol dispellit. Et crit proprie Deus solus non potis capi inter ea quæ non capiuntur, et in incomprehensibilibus incomprehensibilis solis dignis apparens, pro mensura fidei in ipsum. Peccatores vero erunt ut in lumine operti ac circumfusi tenebris, in gaudio erubescerent, et in lætitia ipsi tabescentes, et ardentibus horribiliter, et diversis suarum affectionum generibus cruciati: sicut scilicet et justis a lumine collustrati, et diversis virtutibus ornati apparebunt. Nam Deus, qui secundum naturam suam charitas est, et vocatur, nec damnatos odit, omni affectu naturaliter liber, nec a damnatis jure odio habetur: sed quibuscum nostra voluntate et sententia in hoc sæculo pravorum studiorum societatem elegimus, cum his ut merito, et necessaria in futuro sæculo, quamvis nolentes simus, condemnabimur. Etenim prout quisque affectus, ac dispositus est, Deus unius omnibus, in fine sæculorum sicut novit ipse, sensum cuique præbet, quomodo ab ipso formatus sit. Dignis igitur per gratiam unius supra naturam, divina, et omnem cogitationem superans voluptas esse consuevit. Indignis autem præter gratiam unius, præter naturam secundum privationem hujus gratiæ constitutum, et ineffabilem dolorem facere solet, ut et magnus Gregorius Theologus ait: O Trinitas, quæ aliquando omnibus, aliis illustratione, aliis vocatione cognita fuisti. Sic igitur corporaliter in Scripturis divinitus inspiratis hæc posita inveni, et spiritaliter edoctus sum a Spiritu, et ad vos plene instruendos ex multa charitate, nihil subtrahens scripsi dicta mihi, et declarata, et jussa a Domino nostro Jesu Christo, per adorandam et sanctum ejus Spiritum, de sublimibus donis, et charismatibus simul principii expertis Dei, et patris ejus. Quorum ut sint participes, qui cum labore querunt, iis semper concedit per fidem, ipse etiam nunc bonus, et benefactor noster Deus. Ecce, annuntiavi vobis omnia, et talentum non abscondi. Unusquisque igitur vestrum de cætero quod vult eliget: ego enim quod ad vos attinet, crimine vaco, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium cum Patre principii experte et sancto Spiritu in sæcula. Amen.

ORATIO XXIX

ARGUMENTUM.

Omnes homines a Christo non illuminatos, cæcos esse, nec opera lucis efficere posse, nec in via recte vivendi progredi. Quare circumspiciendum, et advertendum animum, an vero itinere in cælum ambulemus, quod in Dei mandatis situm est. Qui parvis peccatis succumbunt, eos magnorum servos fieri. Quibus actionibus ab affectibus illaudatis vindicemur. Quemadmodum cæcus ingrediens, velit nolit, pedibus offendit; sic homo oculis animæ sub intelligentiam cadentibus, non ante apertis ab eo, qui ut cæcorum oculos aperiret, humanum corpus

¹⁶ Tit. 1, 16. ¹⁷ Joan. iii, 6. ¹⁸ Ibid. 8.

assumpsit, non potest non viam hujus vitæ carpendo delinquere: adhuc enim cæcus est, et ad illud quod proprie malum est, a bono internoscendum superno divinoque lumine, opus habet. Ab omni igitur peccante hæc quatuor requiruntur. Ut cognoscat unde privetur lumine, edoctus mysterium, ne sit stupidus. Confessio peccatorum, ut sit verus. Fuga occasionum et causarum, quibus ad peccandum impellitur, ne sit stultus et insipiens. Postremo, ut medicum petat a solo Christo medico, qui contritos sanat, et modo quodam inexplicabili contritiones alligat, dicitque: *Fides tua te salvum fecit, vade in pace*¹⁸: alioqui enim vita in pace, citraque lapsus degi non potest. Ex his primum illud bonum est; secundum melius; tertium præstantius; quartum proprie bonum, extra quod non datur salus; uti sine tribus antecedentibus quartum hoc Christus operari nequit. Valde siquidem opus habet, ut nos ipsos prius agnoscamus, quo sanati, demus gloriam Deo. Quò enim pacto quispiam adepta sanitate medico gratias agat, si morbi magnitudinem, gravitatem, et suamque ejus depellendi difficultatem ante non perspexerit? maxime, si is ab alio nullo medico curari queat. Meretur enim supplicium divinum, qui curatus medico pro dignitate gratias non agit. Ac propterea cum a quo sanandus est, nosse debet. Hinc visitare, et sanare infirmitates nostras sæpe moratur, quantumvis impleretur. Parcit enim nobis, ne ingrati ad pœnas majores devolvamur. Quamobrem quotquot hominis vocabulo censemur, dispiciamus, et attendamus nobis necesse est, fideles juxta atque infideles, parvi atque magni: ut infideles quidem ad cognitionem et fidem Dei conditoris nostri veniamus: fideles, ut vita pie acta, eidem in omni opere bono placentes appareamus; parvi, ut magnis propter Dominum subjiciamur; magni, ut erga parvos tanquam parentes erga liberos afficiamur, propter mandatum Domini, dicentis: *Quandiu fecistis uni istorum ex minimis meis, mihi fecistis*¹⁹ Non enim, quod quidam opinantur, de pauperibus tantummodo, et victu corporeo egentibus hoc dixit, sed de fratribus item nostris omnibus, qui non fame panis, et siti aquæ, sed segnitiei, et inobedienciæ mandatorum Dei contabescunt. Omnes itaque curramus, antequam nobis per mortem poenitentiae janua claudatur. Curramus, ut ante exitum comprehendamus. Festinemus, ut accipiamus. Pulseamus, ut priusquam de hac luce migremus, paradisi portam Dominus nobis reseret, et seipsum manifestet. Studeamus regnum cœlorum intra nos acquirere, et id ipsum cognoscere, ac sentire, et ne sine illo luce discedamus. Ideirco enim et Christi mandato pro subsidio utimur, utpote propter nos, infirmitatemque nostram præscripto. Ideirco renun-

A tiamus omnibus, et ad angustam atque arctam viam procedimus, et a mundo, mundanisque corporaliter quodammodo amputamur, et ab alta regione, loco, et urbe ad aliam habitationem, mansionemque abeuntes, ad stadium, in quo virtutis viget exercitatio, devenimus, per institutum vitæ, et sanctæ vivendi normam pro suo quisque arbitrio incedentes, aut etiam accelerantes, currentesque et vestigiis Domini nostri Jesu Christi insistentes, ut ne amplius rebus perituris delectemur, et voluntas carnis voluntati spiritus subdatur. Ideirco e mundo secedentes, statim mandata Domini capessimus, et ejus jussis obtemperantes, viam in cœlum ferentem auspicamur.

B Hic porro mihi pensiculate dictorum vim considera. Informa animo viam bene tritam, quam longa est, pedibus scilicet eorum qui præcesserunt. Hinc inde montes, silvas, rupes excelsas, scopulos atque valles concipe. Cum his nihilominus campos, hortos, loca jucunda et umbrosa, longeque antiquissima, et omnigenis fructibus abundantia. Deinde non mediocrem bestiarum multitudinem, latronumque, et sicariorum globos per loca illa absconditos. His ita se habentibus, ex hisce locis nullus aut inescabit nos, sensumque nostrum commovet, aut nocere nobis poterit, sequentibus sanctos, qui præiverunt, eademque semita ambulantes, qua illi ambulaverunt. Incedentibus quippe nobis per viam mandatorum Dei ac Domini nostri citraque respectum ad ea quæ retro sunt omnia quæ audisti permeantibus, nemo neque latronum illorum, neque belluarum aperte ac proterve insultat, aut appropinquare audet. Verumtamen alias remotius, alias vicinius; alii minas intendunt, cædemque spirantibus oculis nos obeunt; alii quibusdam deflementis et blanditiis amicisque colloquiis vicissitudinem et intermissionem nobis offerunt, et ostentant locorum per regiones delectamenta, et fructuum speciem pulcherrimam, hortanturque ut paululum requiescentes, laborem viæ consolemur, et de fructibus edere suadent, plus voluptatis, quam pro eorum aspectu afferentibus. Multos insuper laqueos nobis, occasionesque ad capiendum varias, callide excogitant; nec id per diem solum, sed per noctes etiam: nec vigilantes modo, verum etiam dormientes aggreduuntur; interdum quidem titillationibus, et exorationibus; interdum ciborum interdictorum gustu; interdum cum facibus, lampadibus et ensibus tanquam latrones, et more latronum nos invadunt, terroremque mortis inculiunt. Percellunt nos, arbitantes etiam a recto itinere aversuros. Et nonnulli quidem de ipsis monent fieri non posse, ut quandiu vivimus, hujus viæ difficultates sustineamus. Alii, hæc esse infrugifera, et quæ laborantibus nullam queant utilitatem parere. Alii nunquam esse nec fore finem hujus viæ, eo argumento, quod quibusdam res parum feliciter pro-

¹⁸ Luc. vii, 50. ¹⁹ Matth. xxv, 40.

cesserit, et eo in primis quod qui multum temporis in hoc vivendi genere contriverunt, nullum ex diuturnitate fructum reportarint, dum putarint se cursum mandatorum Dei currere, et id non secundum scientiam, ac sano iudicio præstiterint, sed ad numeros, quos sibi fixerint, et ad opinionem, quam de se ipsi stulte habuerint: quibus merito etiam gressus secundum Deum præciduntur, illis, et ad ea quæ retro sunt revertentibus, seque per negligentiam maligno, ad suam in ipsis voluntatem explendam tradentibus.

Sed cur ego ista apud vos fratres meos spirituales dissero? Quia numerum excedunt adversarii nostri diaboli, malignorumque ejus spirituum insidiæ et tendiculæ. Consideremus nos ipsos in via, de qua diximus, qui vel nuper eam inivimus, vel diutius in ea perreximus, et ab omnibus istis quæ dictæ sunt bestiis et latronibus, multa quidem passiorum quæ commemoravimus, gratia autem Christi neque adulationibus decepti, neque elegantia rerum apparentium ad voluptatem furtim pertracti, neque timore aut minis ad declinandum de recta via, aut a progressu desistendum inflexi, neque vero retrosum conversi sumus, sed potius, et quidem contentius currimus. Num in tali statu et conditione nostra, quievit a nobis oppugnandis Satanas; et num aliquando tandem quieturus est? Nunquam sane. Quocirca Deus semper nobis summo desiderio, totaque mente orandus est, ne nos unquam itescari a maligno, aut falli patiatur. Hæc pauca e multis decertantibus disputavimus.

De his porro, qui nullo discrimine, et nihil omnia pendentes hac via, et vita ingrediuntur, quid ego dicam? quandoquidem velut stupidæ aves omnis generis diaboli laqueis irretiantur, semet cuivis affectui dedentes ac mancipantes, et escam semper maligno se objicientes, circumeunti, et rugienti instar leonis, quærentique quem devoret²¹, et mori præoptant, quam e dentibus et faucibus ejus crudelissimis extrahi. Hortor itaque, et omnes oratos volo in Christo Jesu, ut sibimetipsis attendant, et unusquisque non plus quam oportet, sed ad sobrietatem sapiat²², directamque viam, quæ Deus et Christus est, ambulet (cui et respondere oportebit, ut justo Judici, et qui circumscribi nequit) non declinantes ad dextram, nec ad sinistram²³: sed ejus vestigia perpetuo prementes, in mandatis ejus omnibus absque ulla omissione custodiendis, ut salvemini sicut caprea e maculis, et passer e laqueo²⁴. Primum quippe mandatum est, diligere Dominum Deum, et mandata ejus servare²⁵, sicut ipse ait: *Qui diligit me, mandata mea custodit*²⁶. Secundum, diligere inter se, sicut ipse Deus mundum dilexit. Vera autem dilectio his quasi characteribus cognoscitur²⁷, adversus fratrem non inflari, nec efferri, nec æmulari illum, sed æmulari bonum: non agere perperam, non esse audacem

A adversus eum, non murmurare, non illudere, non irridere, in iudicio nunquam nec parva, nec magna de re contendere. Persuasissimum ergo habeatis, fratres mei dilecti, nihil tam facile salutem vobis conciliaturum, quam divina Salvatoris jussa facessere. Nihilominus multis lacrymis, multo timore, multa patientia, perseverantiaque in precibus nobis opus est, ut saltem unius verbi Domini virtus reveletur nobis, ut noscamus quod in parvis sermonibus ejus absconditum est mysterium, ut pro uno apice mandatorum Christi animas nostras ponere ne dubitemus. Sermo enim Dei armatus, et quasi gladius anceps²⁸, et a quo quis victus est, ejus et servus est²⁹.

B Ut autem exemplo quoque credibile faciam, quod dico, vos interrogaabo. Cui cum decem, aut duodecim viris suscepta est dimicatio, dum manus eum iis conserit, si antesignanos et fortissimos eorum simul prima impressione in fugam compulerit, reliquos vulneraverit, ac prostraverit, unum vero, aut duos ex his despicabiliores, infirmioresque relictos postea timide, et cum blanditiis procul ad se venientes viderit, nec occurrens eos comprehenderit, manus pone revinxerit, aut occiderit, nonne sæviter ab iis ipse trucidabitur? Si enim ex superbia et arrogantia projectis armis recubuerit, illisque contemptis supinus dormiverit, an non sciens et volens in servitutem miseris illis se tradidit? An non qui supervenerunt duo ex illis, aut etiam unus, ligatum eum in suo mancipio habebit, et pro servo abducat? aut si etiam gladio jugulaverit, faciet omnibus mortalibus ludibrium? Annon præterea omnes sui negligentem et confidentem illum, imo dementem ac stupidum merito cæsum dicent? Omnino enim non tam laudabilis erit propter pugnam et victoriam illam contra fortiores, quam vituperabilis, abominandus, et vilipendendus seu servus, seu mortuus, ut libere dicam, quod ab uno illo victos sit. Sic igitur, fratres mei charissimi, nihil nobis proderit, si majoribus perturbationibus edomitis, in minorum potestate simus. Exempli gratia (eadem enim rursus dicam, et dicere non desinam) si carnis inquinamenta vitemus, si ab invidia, et furtis magni momenti abstinemus, si a nefariis puerorum amoribus, et aversa libidine, si a mollitie, et omni alia petulantia temperemus, vitio tamen ventris, aut multo vino, aut somno, aut inertia, aut pigritia, contradictioni, inobedientia, murmurationi tanquam servi, et flagriones subiciamur, quem, obsecro, ex sola operum pessimorum abstinence fructum consequemur? Si clam panis fragmenta surripimus, et comedimus, aut quippiam aliud aliunde sublegimus, idque citra permissum præfecti nostri, qui nos peccati immunes pronuntiet? Si a synaxi absque magna corporis imbecillitate, aut necessitate aliqua sponte abfuerimus? Si fructus custodientes, ab ipsis gulam non

²¹ I Petr. v, 8. ²² Rom. xii, 3. ²³ Deut. xvi, 11. ²⁴ Prov. xi, 13. ²⁵ Deut. vi, 5. ²⁶ Joan. xiv, 15. ²⁷ I Cor. xiii, 1 seqq. ²⁸ Hebr. iv, 12. ²⁹ II Petr. ii, 19.

continerimus? Etiam quid aliud Adamum e paradiso eiecit, mortique dedit? Quid ex graviorum illorum vitiatione commodi nanciscemur? Nec enim quispiam toto corpore laeser, deinde pluribus medicamentis, præter unam modicam plagam curatus, dici sanus potest, si vulneris parvas reliquias, ut foramen pennis adhuc circumferat: sed qui etiam vulnerum cicatrices, si potest, sustulerit, ille curatus prædicabitur ab omnibus. Ne igitur ista parviducamus: sed propter ea alios punitos, et vehementer damnatos audientes, quod nos inde nocumentum manet, totis viribus fugiamus. Et nemo, dilectissimi, in aliquo horum, aut alio quoquam turbulento, ac vitioso affectu de cætero permaneat; sed hinc jam profligato, pœnitentiæ faciat initium, et se victum fuisse confiteri ne cesset, donec pudefactus suggestor inimicus, ab eo oppugnando discesserit. Ne dominetur nostri invidia, ne ira, ne furor et clamor, ex quibus turpiloquia, et contumeliæ generari consueverunt. Ne inanis gloria, superbia, sui admiratio nobis imperantes, in profundum inferni nos trahant: verum his omnibus procul exterminatis, virtutes eorum loco comparemus.

Sed occurrat forte quispiam, cum tam multæ sint, et innumerabiles propemodum quæ recensitæ sunt motiones in reprehensione positæ, quis eas omnes scrutari, et ab universis cavere sibi potest, ut ne ab una quidem occupetur? Quis? ego Christo adjuvante vos docebo. Qui peccata sua semper ante oculos habet, futurumque iudicium assiduo prospicit, ac pœnitentia fervet, et amaras fundit lacrymas, hic supergreditur, longeque vincit omnia simul, a pœnitentia in sublime actus, ut ne una quidem, et sola ex dictis motionibus ad eum pervenire, ejusque tanquam per aereas regiones incedentem animam attingere possit. Pœnitentiæ namque, et ex imo corde emissarum lacrymarum fervor, peccati sordes quomodo ignis conflatur et absorbit, animamque contaminatam expurgat. Tantumne? imo et lumen largum in illam, per adventum Spiritus sancti magnifice infundit, ut inde misericordia, et bonis fructibus abundet. Quod nisi anima nostra a pœnitentia et lacrymis, et quæ hinc in ea nascitur humilitate, velut alis acquisitis ad excelsa ἀνάβητας tollatur, a nulla harum, quarum meminimus passionum liberari poterimus: sed nunc quidem ab hac, nunc ab alia semper vulnerabimur, et non secus quam ab immitibus belluis devorabimur, ac post obitum cælorum regno idcirco exclusi, pœnas in omnem æternitatem experdemus. Quare vos omnes obsecro, spirituales mei fratres, et obsecrare charitatem vestram non cessabo, ut unusquisque salutem suam ne contemnat; sed omnimodis a terra se paulum efferre conetur. Hoc miraculum, quod vobis stuporem incussit, ab humo, inquam, in aera suspendi, si factum fuerit,

A descendere in terram, in eaque consistere nullo modo in posterum voletis. Per terram porro carnalem, per aerem spiritalem sensum, cogitataque intelligo. Nam si mens pravis cogitationibus, et motibus expedita, quam Christus Deus nobis donavit libertatem aspiciendi facultatem præbuerit, ad pristinam peccati servitutem, carnalesque sensus descendere amplius non sustinebimus: sed secundum Domini verbum³⁰, vigilare et orare non desinemus, donec ad beatitudinem illam eveci, promissis bonis potiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria cum Patre et sancto Spiritu nunc et semper ætatibus sæculorum sempiternis. Amen.

ORATIO XXX.

ARGUMENTUM.

Non esse dicendum, hodie ad fastigium virtutis perveniri, et cum veteribus sanctis certari non posse; etiamsi velis. Quicumque divinis Scripturis contraria docet, eum sibi credentes nova hæresi imbuere. Lacrymas nobis a natura datas esse.

Complures quotidie, Patres et fratres mei, nos etiam dicentes audimus, si vixissemus temporibus apostolorum, et Christum perinde ut illi istis oculis cernere digni fuisset, nos quoque sancti, quemadmodum illi evasissemus. Hæc dum dicunt, ignorant eundem esse qui tum, qui nunc mundo loquitur. Nam si nunc non idem est, qui olim, æque super omnia Deus et in efficiendo, et in effectis, quomodo videtur in Filio semper loqui Pater, et Filius in Patre per Spiritum hæc dicere: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*³¹? Sed objiciet forsitan aliquis, non idem est, illum ipsum tunc corporeis oculis vidisse corporalem, et hodie ejus verba duntaxat audire, quæque ad eum, et regnum cælorum pertinent, edoceri. Fateor ego quoque, non prorsus idem esse nunc et tunc: sed quod modo et nunc est, id aîo longe majus esse, et ad pleniorum fidem, persuasionemque certiorum facilius multo nos adducere, quam si tunc eum in corpore humano videre et audire nobis contigisset. Tunc enim nefariis Judæis homo nullius pretii apparebat: at nunc verus Deus a nobis prædicatur. Tunc cum publicanis et peccatoribus versabatur, et cibum per corpus capiebat: nunc ad dexteram Dei, et Patris sui consistet, a quo nunquam, et nusquam separatus; mundum alere universum creditur, sine quo nihil fieri dicimus. Ac, si credimus, tunc a vilissimis hominibus despiciabatur, illa scilicet opprobrantibus, nonne hic est Mariæ, et Joseph fabri filius³²? nunc a regibus et principibus, ut veri Dei Filius, ac verus ipsemet Deus adoratur et glorificatur, atque glorificabit adorantes se in spiritu et veritate (tametsi sæpe eos peccantes punit) cum ferreos eos super omnes gentes quæ sub cælo sunt, pro testacis fecerit scilicet. Tunc ut unus de cæteris hominibus, interitui

³⁰ Matth. xxvi, 41. ³¹ Joan. v, 17. ³² Matth. xiii, 55; Marc. vi, 3.

obnoxius, censebatur, magnumque erat in corpore humano Deum sine varietate aliqua, et mutatione sui carentem forma, nec sub aspectum venientem, forma præditum, et nihil nisi hominem apparentem, nihil præ aliis mortalibus in his quæ aspectu sentiuntur habentem: sed comedentem, bibentem, dormientem, sudantem, lassum, et humanis denique universis, dempto peccato, fungentem, talem, inquam, agnoscere et credere Deum esse, qui cælum et terram, et quæ in eis sunt, omnia condidisset. Quare et Petrum propter vocem illam: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, beatum Dominus affirmavit, *Beatus es*, inquit, *Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, ut hæc, inquam, videres et diceres, sed Pater meus, qui in cælis est*²³. Itaque qui nunc cum quotidie in sancto Evangelio clamantem, et benedicti Patris sui voluntatem annuntiantem audit, nec cum timore, ac tremore illi obedit, et ejus jussa facessit, ne tunc quidem, si præsens præsentem spectavisset, doctentemque auscultasset, plane in eum credere potuisset. Timendum potius, ne neutiquam credens, eumque non pro vero Deo, sed pro Dei adversario reputans blasphemasset.

Et hæc quidem qui sunt omnino cæteris hebetiores ac stupidi. Quid vero his graviores? Si existissemus, inquit, ætate sanctorum Patrum, certassemus et nos. Bona enim eorum vitæ instituta, contentionemque intuentes, imitandi studio exarsissemus. At nunc cum desidiosis, et negligentibus versantes, una cum iis ferimur, et nolentes simul perimus. Sed hi quoque, ut credibile est, ignorant, nos magis quam illos in portu navigare. Sæculo patrum nostrorum (arrigant isti aures) multæ vigeant hæreses, multi erant pseudochristi²⁴, multi Christum cauponantes²⁵, multi erant pseudomagistri, qui vagarentur libere, et maligni zizania spargerent²⁶, nec paucos sermonibus suis in fraudem illectos secum abstraherent, eorumque animas ad exitum mitterent; id quod ex Patrum Antonii, Euthymii et Sabbæ vitis verum esse reperias. Traditum est siquidem litteris, Antonium tunc veste splendidiore præter consuetudinem indutum, in locum editum ascendisse, semet exhibuisse, ostentasseque, ut manifestus et conspicuus, omnino ab hæreticis apprehenderetur et neci daretur. Certe nisi tum persecutio ferbuisset, hoc ille non fecisset. Temporibus autem sancti Patris nostri Euthymii, Ecclesiis a Deo tranquillitatem donatam esse, nonne litteris exstat? cum nimirum tunc persecutiones et hæreses conquievissent. Sanctus vero pater noster Sabbas cum esset præpositus, an nescitis quantopere pro Ecclesiis contra illius temporis hæreses pugnaverit, et quot monachi tum ab hæreticis seducti sint? Quid quæ sub Stephano Junio contigerunt? annon gravissimam et acerbissimam persecutionem habuerunt? Annon cogi-

tatis, qualis tum procella, quanta vis tempestatis monachos in salo jactaverit? Sed quid ego omnia viter persequi? Cum enim recordor, quæ ante hæc sub Magno Basilio, sicut magnus narrat Gregorius, et quæ sub aureum orationis flumen fundente Joanne Chrysostomo, et Patribus consecutis acciderunt, et ipse me miserum judico, et hæc non expendentes miseror. Hæc enim satis sciunt, omne tempus præteritum fuisse mœstius, et palam repletum maligni zizaniis.

Veruntamen quamvis tristia et adversa fuerint præterita, nihilominus etiam hoc tempore multi sunt hæretici, multi lupi, aspides, et serpentes inter latera nostra; sed nihil contra nos possunt, ac velut quædam malignitatis suæ noctem agunt. Et quidem ad se ventitantes, et tenebris suis involutos rapiunt ac devorant. In lumine autem divinarum Scripturarum ambulantes, et in via mandatorum Dei incedentibus, ne occurrere quidem audent: sed cum per transeuntes cernunt, eorum conspectam perinde ac flammam fugiunt. Quosnam igitur hæreticos me significare suspicamini? num eos qui Dei Filium negant? num qui Spiritum sanctum blasphemant, ac divinitate spoliant? num qui Patrem Filio majorem asserunt? num qui Trinitatem in unitatem confundunt, aut unum Deum in tres deos dividunt? num qui Christum Dei quidem Filium nominant, eundem vero ex muliere corpus sumpsisse non credunt? num qui corpus quidem assumpsisse, sed sine anima nugantur? num qui illud animatum, ut integrum hominem, non autem unum secundum hypostasin Dei et Mariæ Filium appellatum, Deum esse contendunt, sed in duos filios unum Christum secernunt? num demum qui Patrem principio carentem, principio circumscribunt, et dicere non verentur, fuit, cum non esset Pater, id est, aliquando non fuit Pater? aut qui Patrem quidem paternitatis carere initio, Filium vero ut ex eo genitum post tempus aliquod initium accepisse, tanquam creaturam perverse et sentiunt, et docent? Erat enim, inquit, aliquando Pater, cum Filius ei non coesset. Et qui tandem Pater, qui sine Filio est, appellabitur? An fortasse eos, qui alium quidem passum, alium e mortuis existisse asseverant? Apage, neminem istorum impiorum, et atheorum, nec aliorum hæresum ullam tibi dico, quæ, cum ut tenebræ emersissent, a Patribus qui tum claruerunt, velut a lumine discussæ ac dissipatæ sunt. Usque adeo enim gratia sancti Spiritus per eos resplenduit, dictarumque hæreseon tenebras propulit ut usque hodie Deo dictante composita eorum volumina, solis luce fulgidius retuceant, et iis contradicere nemo attentet.

Sed de iis loquor, eosque nomine hæreticos, qui docent, non esse quemquam nostro hoc ævo, et in medio nostrum, qui evangelica mandata servare, et ad exemplar sanctorum Patrum se conformare

²³ Matth. xvi, 17. ²⁴ Marc. xiii, 22. ²⁵ II Cor. ii, 17. ²⁶ Matth. xiii, 25.

possit : ut primum quidem omnium sit fidelis, et actioni deditus, nam ex operibus fides, quemadmodum per speculum faciei intuentis similitudo demonstratur : deinde contemplatione maxime excelat. Deumque cernat, dum scilicet ab eo illustratus, et Spiritu sancto auctus, per eundem quoque Filium cum Patre cognoscit. Qui igitur hoc fieri non posse ratiocinantur, non particularem quamdam hæresin alunt, sed, si dici potest, universas : quandoquidem hæc omnes impietatis, et blasphemiae magnitudine exsuperat et includit. Assertor ille Scripturas divinas ad unam evertit. Frustra, puto, dicit ineptus, modo legi Evangelium : frustra magni Basilii, aliorumque sacerdotum sanctorumque Patrum nostrorum scripta volitari, aut collecta esse testificatur. Si igitur quæ Deus dicit, omnes sancti et factis exsecuti sunt omnia, et ad nostram admonitionem scripserunt, impossibile nobis est opere præstare, ita ut nihil omitatur, quid est quod ii et tum illa cum tanto labore litteris consecrarunt, et nunc in Ecclesia eadem lectitantur? Qui hæc dicunt, cælum a Christo descendente nobis reseratum claudunt, et ascensum in illud, quem idem ipse nobis instauravit, intercedunt. Nam cum ille, qui est super omnia Deus, desuper velut ad portam cæli astet, et despiciat, atque a fidelibus aspiciatur, et per sacrum Evangelium clamet : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* ³⁷, isti hostes Dei, seu Antichristi potius aiunt, hoc fieri non potest, non potest istud fieri. Quibus recte Dominus magna voce refert : *Vae vobis Scribæ et Pharisei, Vae vobis duces cæci cæcorum, quoniam et vos in regnum cælorum non introitis, et volentes introire prohibetis* ³⁸. Cum

A ille lugentes manifeste ac palam beatos declaret, isti impossibile esse reclamant quempiam lugere, et flere quotidie

O stuporem, et os loerum ac solutum nimis, scelestas contra Deum altissimum voces emittens, et Christi oves belluis capiendas objiciens, pro quibus unigenitus Dei Filius revera sanguinem suum effudit! Bene de talibus divinus pater David vaticinatus est : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* ³⁹. Cur enim, dic mihi, istud est impossibile? et per quid aliud sancti in terris emicuerunt? et luminaria mundi exstiterunt? Si impossibile erat, nec illi unquam recte facere potuerunt, quando ipsi quoque similes nostri homines erant, nec plus nobis habebant, nisi certum ac deliberatum bene agendi propositum, studium, patientiam, humilitatem, et amorem Dei. Hæc tu similiter possideto, et anima tua nunc petrosa, fons lacrymarum tibi flet. Sin tu tribulationes et angustias pati recusas, at saltem rem humana facultate majorem esse ne asseras. Nam qui hoc dicit, purgationem negat. Etenim post homines natos nunquam auditum est, animam quæ post baptismum peccato se scelerasset, absque lacrymis ab illis sordibus purgatam esse. Per baptismum namque Deus omnem lacrymam a facie terræ abstulit, cum Spiritum suum sanctum abunde effudit. Verum ut a sacra Scriptura didici, etiam in ipso baptismo quidam cœvi baptizati, superventu Spiritus compuncti fleverunt. Non habent dolorem parturientium, nec sunt operosæ lacrymæ : sed efficientia, et munere sancti Spiritus melle dulciores, qui eas sine labore, sine strepitu per oculos derivat (15).

³⁷ Matth. xi, 28. ³⁸ Matth. xxiii, 13, 24. ³⁹ Psal. lvi, 5.

(15) Videri posset Simeon noster cum hic, tum alibi præsertim oratione 32, nimis multum lacrymis tribuere; si quidem de lacrymis corporalibus loquatur, ut certe loqui videtur. Etsi enim lacrymæ ex interno cordis dolore manantes, multum ad peccati sordes eluendas conferant, non tamen ita necessarie sunt, ut si absint, macule post baptismum contractæ expiari nequeant : cum non sint in potestate hominis. Et quandoque homo fleat, invitus, et quandoque non possit flere volens, ut recte dixit Durandus, iv, d. 17, q. 4. Quod etiam Simeonem agnovisse conjicio inde, quia oratione 32 monet, ut si quis lacrymis careat; eas nihilominus ex tota virtute et anima desideret. Quo indicat, se non modo lacrymis, sed et desiderio lacrymarum contentum fore, licet nec hoc sit absolute necessarium explicite, ut vocant; implicite autem et tacite omnibus ille hoc desiderium habet, qui veram contritionem habet; hoc ipso, quod Dei placamuli gratia quidvis facere et tolerare paratus est. Tantum porro abest, ut fletus iste corporalis per se simpliciter sit necessarius ad remissionem peccatorum obtinendam; ut aliquando maxima contritio sine hoc externo fletu in animo inesse posset; quia lacrymæ non sunt immediate et per se effectus doloris illius interni, qua voluntas afficitur; sed mediate tantum et indirecte : *Prout vires inferiores moventur ex redundantia superiorum, inquit Durandus, quod non fit ita efficaciter, sicut quando moventur a propriis*

objectis. Tametsi ne mediate quidem necessario ad internum dolorem consequuntur. Et quia immutationes istæ corporales immediate consequuntur ad passiones sensitivæ partis, hinc fit, ut ex dolore sensibili, vel etiam sensibili virino, citius defluant lacrymæ corporales, quam de dolore spirituali contritionis, ut recte docet sanctus Thomas in Supplem. iii, p. quest. 3, art. 1. Dicit autem, citius, quia si sequantur citius, cæteris paribus, sequuntur ex dolore sensibili, quam ex spirituali; quanquam necessario ne ex sensibili quidem semper existant: cum experientia constet, quosdam gravissimis corporis doloribus excruciat, nec tamen vel unam lacrymulam emittere.

Legatur Cassianus Collat. ix, cap. 27, 28, 29 et 30, ubi pulchre de lacrymis disputat; inter cætera sic scribit : *Ab his, qui in affectum jam transiunt virtutum; nequaquam debet hoc modo extorqueri profusio lacrymarum, nec exterioris hominis nequaquam affectandi sunt fletus; qui etiamsi fuerint utcumque producti, nunquam pertingere ad illam spontaneam lacrymarum poterunt ubertatem. Sanctæ ergo sunt lacrymæ ex amore Dei scelerumque detestatione profectæ, atque adeo assiduis precibus a Deo expectandæ; sed non simpliciter ad salutem aut obtinendam aut retinendam necessariæ. Vident lector, si placet, librum de contemptu mundi Isaaci monachi et presbyteri, et homiliam 107 Antiochi, quæ de compunctione inseribitur.*

Quæcirca quibus concessum est, ut lacrymas istas experirentur, cognoscent quæ dixi, et vera esse testimonium mihi dabunt, sicut etiam illa Theologi vox mihi astipulatur. Offerat quispiam, hic quidem hoc, ille aliud; et multis in medio enumeratis, ad extremum addit, omnes lacrymas, omnes purgationem, omnes ascensum, et ad anteriora extendi⁴⁰. Num igitur in hoc distinxit, aut separavit quosdam, et illos quidem dixit hoc posse, hos non posse? Num, ut vos insipienter asseritis, vos, inquam, incircum si cordibus et auribus⁴¹ (pro eo ac meremini vos tangam) quoniam quidam sortiti sunt naturam duriores, qui nequeant aliquando compungi, et lacrymas emittere, hoc etiam magnus Gregorius adjungit? Absit, neque natura humana sic comparata est, ut si non potius ingenitæ sint illi luctus et lacrymæ; neque sanctus hic, aut alius sanctorum hoc dixit, aut scripsit. A natura autem nobis inesse fletum, ipsi infantes dum nascuntur te doceant: qui simul atque ex utero prodierunt, plorant, eoque indicio obstetricibus, et matribus vivere se ostendunt. Infans quippe nisi vagiat, ne vivere quidem dicitur. Si vagierit, illico naturam ab ipso ortu suo luctum, et lacrymas habere comites demonstrat. Atque istud etiam sanctus pater noster Simeon Studita confirmabat, cum hujuscemodi lacrymis hominem debere hanc vitam traducere, et cum, etc. (*Deest in utroque exemplari una pagina hoc loco.*) Obtorto collo tracti, etsi minime audire vultis quotidie clare intonantem vobis divinam Scripturam: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque pro ut in corpore suo gessit, sive bonum sive malum*⁴². Quod cum omnibus nobis brevi evenerit, ubi tum corpora nostra operiens, et exornans pretiosa vestis erit? ubi humeralia conspicua? ubi fulgentia, et pellucida pallia? ubi humum prementia illa pulchra, solidaque sandalia? ubi lora cingulorum muliebrium similia? ubi virorum principum occursum? ubi ante alios honorifice salutari? ubi contentiones de prima cathedra? ubi sumptuosæ mensæ? ubi (ut et hoc dicam) prævenire fratrem, et ex appositis plura melioraque sumere? quod ego primus, et qui mei similes sunt, vani et inepti facere consuevimus. Ubi tunc fastus et superbia nostra, imperare, et imperari? Ubi cellæ late, et eleganter in morem thalami ornatae. Ubi ministrorum, et quibus ministratur prærogativa in iis, in quibus nos alios præire debere arbitramur? Ubi immodicus, et indecorus risus? ubi longæ, et apparatuscæ cœnæ, prandia, et inter ista confabulationes intempestivæ? Ubi tunc magna nomina?

⁴⁰ Philipp. iii, 13. ⁴¹ Act. vii, 52. ⁴² Rom. xiv, 10; II Cor. v, 10. ⁴³ I Cor. i, 20. ⁴⁴ Matth. iii, 2.

Cæterum, quo verbis istis Simeon respexerit, me fugit: verbis, inquam, istis: Ἄλλ' ὡς παρὰ τῆς Θείας Γραφῆς ἀκήροα, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ βαπτισματι λικύωτα! τινε; ὁ ἀπειζόμενος τῆ ἐπιλέγουσαι κατανυ-

A Ubi sanctitudo, quam nunc habere putamur, aut ipsi putamus etiam? Ubi adulescentes, et illusores, qui nunc sanctos nos appellitant, et vestigia nostra calcare formidant? Ubi excelsi throni, et qui in iis sedentes, cæteris illustriores apparent? Ubi propter quippiam possidendum, aut majorem præfecturam acquirendam concursatio, et diligentia? Ubi contradictio, et contumacia, et posteriorem videri nolle? Ubi cognatorum in nos affectus? Ubi qui nos visere solebant mandanorum, ac nobilium virorum superbia? per quos ego miser existimo, et mihi persuadeo, me supra cæteros claritatem adipisci. Ubi cognitione rerum, et sapientia hujus mundi inclytorum scientia? Ubi magnifica de seipso opinio, et putare nos esse aliquid, cum nihil simus? Ubi tum lubrica lingua, et velut e fonte pro-manans oratio? ubi tunc, imo nunc sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi⁴³, ut revertatur, et constituamus simul, deque terribili die, et hora illa consultemus, et omnem, quod dicitur, rudentem in nobis ipsis, et in Scripturis divinis moveamus et accurate scrutati doceamur inde, discamusque quid nobis tunc prodesse possit, et illud cupidissime eligamus? Sic, fratres mei dilecti, ut omnis Scriptura aperte clamat, magna necessitas, magnus timor et tremor in illa hora proinde, ut ego desides, dissolutos ac pigros occupabit. Beatus autem, fratres, qui nunc omni creaturæ subjectus luget, et plorat nocte et die coram Domino, quia a dextris ejus, stola amictus statuetur. Beatus qui hæc audit, et non solum gemens, nec de die in diem differens, tempus vitæ suæ sine fructu decurrit: sed qui simul ac Domini vocem accipit: *Pœnitentiam agite*⁴⁴, statim manum operi admovet. Talis enim ut obediens, ac bonus servus misericordiam consequetur, nec cum inobedientibus damnabitur. Et in hac quidem vita ab omnibus vitiosis motibus animi liberabitur, omniumque virtutum probatus cultor evadet: in futura autem vita bonis Dei nulla lingua exprimendis oblectabitur, cum omnibus, qui a sæculo illi placuerunt; quibus omnes nos utinam potiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque sancto Spiritu gloria, imperium, honor, et adoratio nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Christianum æquo et generoso animo, incursantium se tentationum impetus sufferre oportere.

Qui vere sunt servi Dei, quique ipsum diligunt, et quasi honorum tutissimum thesaurum in se

γέντες τοῦ πνεύματος ἐδάκρυσεν. Ubi enim in sacris Litteris proditum legimus de istis ἠλικυώταις, seu coævis simul baptizatis, ipsoque baptismatis puncto in lacrymas erumpentibus?

ipsis habent, tempore tentationis injurias, et con-temptus cum gaudio; et animi jucunditate inenarrabili patiuntur, et eos a quibus ita tractantur, sincero cum affectu, ut bene de se merentes maxime diligunt. Qui autem tempore tentationis consputationes, alapas, petulanter illatas injurias pacate non sustinet, aut animo concitatus, verbum indecens profert; aut denique per exteriorem habitum se ira ferventem prodit, contraque verbis contumeliosis insurgit; aut aliud sui ulciscendi causa facit, quomodo is ulla ex parte servum se, et imitatorum Domini sui, ac non inimicum potius dicere audebit? Qui enim verberanti resistit, eumque vicissim verberat, Deum inhonorat, dicentem: *Qui percutit te in una maxilla, præbe illi et alteram* ⁴⁵. Qui porro sic se defendunt, et aiunt, in rixa et pugna, ad iram et excandescentiam ut homines commovemur: aliquando etiam verbis, et opere ipso de fratribus nos vindicamus, post, animum ab ipsis non alienum gerimus, sed omnia dimittimus, potissimum si veniam inter nos dederimus, videntur mihi tabulae purae similes, in qua inimicus et hostis captata opportunitate, per eos ipsos prava sua placita inscribit, et inducit, ipsique rursus delentes, quæ incitatu maligni inscripserant, nolunt pro his Christi placita inscribere, ut cum venerit adversarius, tabulas cordium eorum conscriptas inveniat, victusque cum dedecore discedat: sed unusquisque eorum præ pigritia, ac desidia hasce vacuas relinquit, cum mandaverit Dominus, ut in aliqua harum suæ leges inscribantur, illi mox, et prompto inimici leges inscribunt, et amara atque mortifera admittentes, vivifica, et melle dulciora, a se repellunt. Qui igitur nihil deliquit Jesus Dominus ac Deus noster, percussus est, ut ejus exemplo peccatores non solum remissionem peccatorum accipiant, sed etiam divinitatis ejus per obedientiam participes fiant. Quod qui in humilitate cordis non admiserit, quasi erubescens Domini perpassiones imitari, Christus illum coram angelis, et Patre suo cœlesti erubescet ⁴⁶.

Quod dico, hujusmodi est. Cum esset Deus, nostri causa hominem indutus, alapis cæsus, consputus, in crucem actus est: docens, ac dicens quodammodo cuique nostrum per ea quæ passus est (qui, qua Deus, pati non poterat), si vis Deus esse, o homo, vitamque æternam assecutus mecum vivere, quod pater generis tui, cum male concupivisset, non est assecutus, sic humiliare, quomodo ego tua causa me humiliavi, arrogantique et superbia, in quibus est spiritus diabolicus, deposita, alapas, consputationes, colaphos suscipe. Perfer ista ad mortem usque, et noli erubescere. Sin tu propter mandata mea pati erubueris, postquam ego Deus propter te passus sum, etiam ego, quando cum majestate advenero, pudori habebō te mecum esse, dicamque angelis meis, hic in lumi-

litate mea erubuit me, et gloriam mundi deserere, meque imitando exprimere haud sustinuit. Nunc, quando ipse quidem fluxa gloria exutus est, ego vero in immortalis Patris mei gloria glorificatus sum, vel tantummodo videre eum erubesco. Itaque foras eiciatur: *Tollatur impius, ne videat gloriam meam* ⁴⁷.

Hæc audient, qui omnia quidem mandata Domini observare se putant, propter pudorem autem, et opprobrium apud homines, illatas ab iisdem injurias, ignominias, maledicta non patiuntur, neque alapas, neque verbera, et plagas inflictas tolerant. Horrescite, et tremite mortales, et injurias, quas pro salute vestra Deus pertulit, etiam vos cum gaudio sufferte. Deus a servo impurissimo in faciem cæditur, tibi ad exemplum; et tu ab homine similibus tecum affectionibus obnoxio hoc pati detrectas? Dei imitatorum esse pudet? Et quo pacto cum ipso regnabis, et cum eo in regno cœlorum conglorificaberis, si cum eo nihil toleraveris? Nam si et ille, quod ad te attinet, propter te homo nasci erubisset, et in prævaricationis lapsu jacentem te hucusque destituisset, nonne, miser, cum infidelibus, et impiis in inferni recessibus permansisses? Credin' tu Christum esse Deum? credo, inquis. Si ergo esse Deum credis, qui cœlum, et terram condidit, qui citra exinanitionem de sinu Patris exinanitus est ⁴⁸, qui ex imensa altitudine divinitatis, et inexplicabilis gloriæ suæ descendit, et propter te homo abjectus, ac pauper factus est, tu lutum, cinis, ac pulvis, non potes in animam inducere, ut a sublimi throno tuo descendens, fratri tuo te humilies, qui infra te quidem videtur stare, fortassis autem virtutibus te supereminet? Quin vestem tuo iudicio splendidam abjicis, illius ex pilis confectam, et humilitatem ejus reveritus? Quin despicias omnia, quæ revera ludus, et velamenta, ac persona quæ tam turpitudinis potius, quam gloria claritatis sunt? Quin per omnia fabricatori tuo ac Deo similem te præstans, cum illo fratribus tuis te humilias? Si illi similis effici non vis, majorem nescio quomodo, et gloriosorem illo te facis, aliamque te nobis Annam, aut Caipham, aut Pilatum tyrannum exhibes, officium universitatis non ut assessorem, sed ut unum quendam damnatorum tibi astare cupiens.

Hæc ad divites et principes, et aliorum præsidēs, et cum fastu supercilium tollentes dicta sūt. Quid jam dicemus iis, qui relictis omnibus, propter regnum cœlorum ad egestatem se redegerunt? Quid dicemus, inquam? Ecce frater, mendicus factus, et Dominum Christum, ac Deum imitatus es. Intuere igitur hunc modo tibi junctum, tecumque versantem, qui super omnes cœlos est. Ecce duo vos simul inceditis. Occurrit quispiam vobis in itinere, deditque Domino alapas, dedit similiter tibi. Dominus non contradicit, et tu contra irruis? ⁴⁹ mo

⁴⁵ Matth. v. 39. ⁴⁶ Luc. ix, 26. ⁴⁷ Isa. xxvi, 10. ⁴⁸ Philipp. ii, 7.

ais, dixit enim danti sibi alapam: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis* ⁸⁹? Ille ille non protulit, ut contradiceret, quod tu existimas; sed quoniam ipse omnino peccatum nullum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ⁹⁰. Præterea, ne, qui dixerat: *Sic respondes pontifici?* juste eum, ut qui peccasset, percussisse putaretur, idcirco se innoxium volens declarare, sic locutus est. Verum nos, multis obstricti criminibus, longissime ab ista innocentia distamus. Nam postea Dominus, cum multa indigniora istoc exceperet, nullum penitus verbum edidit: quin etiam, quod constat, pro crucifixoribus oravit. Ille irrisus non indignatur, et tu moleste fers? Ille sputa, colaphos, flagella patitur; et tu ne verbum quidem asperum audire potes? Ille crucem, et mortem ignominiosam, et dolores clavorum excipit, et tu ministeria abjectiora obire refugis? Et quinam ejus gloriæ consors eris, cujus mortis consors fieri abnuis? Sane frustra divitiis te abdicasti, crucem ut ille jussit in veritate tollere nolens: *Vende quæ habes, et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et sequere me* ⁹¹, adolescenti, et nobis cum ipso Christus præcepit. At tu facultatibus distributis, crucem tamen horrens tollere, ut diximus (quod nihil aliud est, quam omnium tentationum impressionem hilari animo sustinere ac perpeti) in via hujus vitæ relictus, et a dilectissimo Domino tuo divulsus es. Sed, obtestor, patres ac fratres, omnia Christi mandata custodiamus, ad orientes nos tentationes usque ad mortem regni cælestis amore sufferamus, ut et gloriæ Jesu socii, et æternæ vitæ compotes, et honorum quibus nulla par est oratio, hæredes evadamus, gratia, et benignitate magni Dei ac salvatoris nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, honor, cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in omnem æternitatem. Amen.

ORATIO XXXII.

ARGUMENTUM.

De pœnitentia et compunctione, et quibus actionibus ea potiamur. Sine lacrymis ad purum, tranquillumque animi statum neminem unquam perventurum.

Quoniam, Patres ac fratres, sancti Patris nostri Studitiæ divina sublimium ejus actionum monumenta nobis lecta sunt, quæ ille cælesti Spiritu instinctus, ad multorum utilitatem publicavit, cum aliis ejusdem supra modum egregie factis, etiam hoc, ita expresse, sicut in omni vita sua constanter observaret, scripsit, in hæc verba: *Frater, absque lacrymis non communicabit unquam.* Quod ubi audierunt qui aderant (aderant autem multi, non laici modo, verum etiam ob virtutem magni nominis, et famæ monachi) mirati sunt dictum, et mutuum aspicientes, ac subridentes pariter, una voce dixerunt, de cætero nos nunquam communi-

cemus, sed sine communione maneamus. His ego miser et infelix auditis, seorsum ea mecum revolvens, et indigno ferens, acerbè flevi in dolore cordis mei, ita apud animum memet interrogans: Num revera in hoc negotio sic affecti sunt, et ita sentiunt ut verba sonant, serioque impossibile hoc reputantes dixerunt, quæ dixerunt? an potius non parvum ac facile quoddam officium rati, tempore communionis lacrymari, solo verbo id irriserunt? Sane, nisi quis assiduo diebus et noctibus coram Christo Deo in fletu occupatus sit, nec cum divina participare voluerit, quomodocunque lugere, aut lacrymari fletuque secundum Deum stillare poterit. Qui enim? nisi forte secreta quadam œconomia, aut eventu, ex causa aliqua raro id contingat alicui, quod mihi mirum non videtur, quando multi etiam in exitu animæ e corpore lacrymarunt. Opinor autem hic non multi, sed pauci admodum, et quorum numerus injuri facile queat. Quod si prorsus fieri non posse existimant, ut quis cum lacrymis in dies participet divina mysteria, pro ignorantiam, socordiam, et cæcitatem ista loquentium. Si enim seipsos judicassent, non e suis ipsorum sermonibus judicarentur. Si pœnitentiæ studerent, non hoc pro impossibili effutivissent. Si fructuosis vacarent operibus, talis boni tantæ liberalitatis Christi gustum aliquem haberent. Si esset in iis timor Dei, non solum tempore communionis divinatorum mysteriorum lugere quempiam, ac flere posse attestarentur, sed et omni hora propemodum. Quocirca et vestram charitatem de hoc certius erudire volens, et illos qui ita locuti sunt, tanquam præsentibus compellans, percunctandum statui. Dicite mihi, boni viri, cur hoc fieri nequit? quia, inquiunt, alii quidem propensi ac faciles ad compunctionem sunt, alii duro, alii lapideo corde, qui etiam puncti non compunguntur. Qui igitur ita sunt comparati? qui flere et lugere, et cum lacrymis semper communicare poterunt? Quin et ipsi sacerdotes, qui divino incruentoque sacrificio operantur, quomodo lacrymas fundent? Ipsum igitur hoc, esse duros, ut dixistis, et ad compunctionem difficile permoveri, unde ipsis accidit? dicite, si nostis. Si ignoratis, paululum celsitudinem vestram citra verecundia submittentes, et aurem benevole inclinantes, ne ex me infimo discere gravemini. Scriptum est enim: *Si autem postremo revelatum est, prius sileat* ⁹².

Unde igitur, inquis, hic quidem durus, hic autem ad compunctionem mollis? Audi. Ex proposito et voluntate, unus bona, alter mala, et ex cogitationibus hic quidem pravus, alius vero aliusmodi: et ex actionibus, hic quidem divini amoris indicibus, ille vero contrariis. Ac si placet, considera, et videbis omnes inde a primordio sæculorum per sola hæc tria partim multos ex bonis malos, partim multos ex malis bonos exstitisse. Nam ut a prin-

⁸⁹ Joan. xviii, 25. ⁹⁰ I Petr. ii, 22. ⁹¹ Matth. xix, 12. ⁹² I Cor. xv, 50.

cipio eos enumeremus, Luciferi casus unde exstitit? nonne quia voluntati, et cogitationi perversæ assensit? Unde Cain fraticida? nonne ex prava voluntate, cum se Conditori prætulisset, et cogitationibus improbis locum reliquisset, invidiæ mancipium evasit, cædemque perpetravit? Unde Saul quærebat Davidem comprehendere, et occidere, quem prius quanti seipsum faciebat, plurimumque, ut bene merentem, diligebat? ex natura, an ex corrupta voluntate? planum est, ex vitiosa, et depravata voluntate. Natura enim nemo est malus, quoniam Deus non malorum, sed valde bonorum operum auctor, et effector est. Imo potius bonus est quisque, idque non ascitu et electione, sed natura, et veritate. Ad hæc, unde latro alter cum Domino Jesu crucifixus dicebat: *Si Filius Dei es, salva te ipsum, et nos*; alter vero reprehendens occurrebat: *Neque tu times Deum: nam nos quidem digna factis juste recipimus, hic autem nihil mali gessit*⁴¹. Velim mihi dicas, unde hic quidem isthæc, ille vero alia locutus, et unus quidem justificatus, alter condemnatus est? nonne ex voluntate, et cogitationibus uterque, unus nempe bonis, alter contra malis? Ex his enim alter infidelis, alter fidelis dicebat: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*⁴².

Ut alios complures silentio præteream, ex his quid velim percepistis, et didicistis, unumquemque voluntatis suæ libertate aut ad compunctionem propensum, et humilem, aut duri cordis, et superbum fieri. Et merito. Duobus enim huic vitæ renuntiantibus, ejusdem artis, cognatis, coævis, aliquando etiam fratribus, concordibus, moratis ad eundem modum, improbis inquam, asperis, misereri nesciis, crudelibus, carnis et pecuniæ studiosis, et in omni genere perversitatis æqualiter exercitatis, et in stadium vitæ sanctæ, ac Dei cultui consecrate simul ingredientibus, unus illorum omnium virtutum semitam simul calcet feliciter, fervore exsequendi omnia vitia amputans: alter peior, quam ante renuntiationem erat, efficitur. Quid ergo est, quod non æque virtutis funguntur munere, quemadmodum summa vitiorum pariter contigerant? Nonne quoniam alter consilio ac voluntate bonæ animæ omnia secundum Deum tristitia tolerat, et insuper ab ipso ingressu, et renuntiatione prudenter divinis Scripturis se dedit, et per se, suaque sponte probatas actiones eligit, religiosorum hominum vitam, et mores ad imitandum sibi proponens, et cum ipsis in jejuniis, in precibus, in observationibus, in silentio, in compunctione, et lacrymis, in abstinentia delicatarum epularum, et intempestivorum colloquiorum, in fugienda excandescencia, ira, et clamore, certat, injurias, tribulationes, et angustias patienter sustinens, vilia et abjectiora operum ultro subiens, non contradicens, aut murmurans, cum ei quid

A imperatur: sed prompte præstans singula, postremum semper locum quærens, et ut summatim dicam, universa scienter efficiens, quæ a divinis Scripturis docemur, præteritorum peccatorum veniam, et misericordiam adeptus, coram Deo fiduciam inveniat? Qui autem omnia his contraria, mala videlicet mala animi inductione committit, manet improbus, id quod etiam ante renuntiationem erat: ut ne dicam, etiam improbius sit, quam erat. Ita non ex natura, ut quidam opinantur, sed ex voluntate sponte suscepta quilibet homo sive humilis, et ad compunctionem proclivis, sive durus corde, et excæcatus, et a compunctione alienus evadit.

B Quoniam enim modo, quæso te, animo dolorem concipiet, et rorabit lacrymas, qui toto ferme die huc illuc divagans, neque precatationis, neque silentii, neque lectionis, et quietis cura tangitur: sed nonnunquam cum proximis in conventibus fabulatur, non solum seipsum, sed et congerrones, utilitate privans; nonnunquam calumniis, et probris religiosos fratres, nonnunquam ipsum præpositum insectatur? Unde compunctionem acquire, qui res omnes monasterii, nec monasterii duntaxat, sed uniuscujusque insuper mores curiose scrutatur, et indagat? Et aliquando quidem fratres quosdam alloquens, hoc et hoc heri, inquit, audiavi. Aliquando, scin? quid illi misero acciderit? rursumque, nunquid, illius calamitatem audivistis? Hujusmodi homo quando tandem suorum peccatorum recordabitur, ut doleat, ut in lacrymas eat? Qui porro etiam e Synaxi egressus, dum ibi Scripturæ divinæ recitanur, longeque, aut prope sedens, cum aliquibus sermonem miscet, nunc illo, nunc aliis eventus quosdam sine fructu in medium afferentibus, itaque dicentibus, scitis quid illi fratri præpositus fecerit? hic ita excipit: si vobis narravero, quomodo infelicem illum habuerit, quid dicetis? Sic talia, et his deteriora garricens, et propter nugas istiusmodi alios impediens, et ipse impeditus, quando in conscientiam peccatorum suorum descendet, ac seipsum deflebit? Qui enim divinitus inspiratis sermonibus non attendit, nec ostium circumstantiæ labiis suis possit⁴³, nec ab auditione vana aures suas avertit, nec illius ultimæ responsionis, et terribilis Christi tribunalis, quomodo nudi, et obtorto velut collo tracti omnes ei astare debemus, et de rebus in vita transactis rationem reddere, qui horum, inquam, non meminit, quo pacto, amabo si plus centum annos viveret in habitu monastice lacrymas acquirat, et seipsum fervide lugeat? Quomodo qui primos affectat in statione Ecclesiæ, in accubitu mensæ, et super his semper contendit, rixaturque, aliquando propter animam suam contristabitur, et coram Deo amaras solvetur in lacrymas? Qui autem excusationes excusat in peccatis⁴⁴, imbe-

⁴¹ Luc. xii, 59, 40. ⁴² Ibid. 42. ⁴³ Psal. cxl, 3. ⁴⁴ Ibid. 4.

cillitatem obiciens in statione Ecclesiæ, cum robustus sit, plenoque ac juvenili corpore, et se cum religiosioribus monachis ac fratribus, qui admodum diu in professione vitæ monasticæ desudarunt, comparans dicit: Num ego quidquam huic, aut huic concedo, quia ille stans innititur? et abit ac seipsum illis stando, et innitendo exæquat, qui fortasse indignus est etiam inferiore loco, quando hic suam infirmitatem agnoscat, ut ex animo ingemiscens, corde compungatur, et oculis fleat? Vana quippe gloria eum servum acediae tradens, non amplius ulla in re cum patientia perdurare sinit. Et vivit deinde quisque talis in segnitie et negligentia ad omnem Synaxin, accedentibus ad eum, et audiendi cupidis frequenter narrans inanes, et aniles fabulas. Atque ita sine sensu, aut, ut melius dicam, sine dolore cum spiritualibus, et Deum sancte colentibus viris ad divinas synaxes conveniens, sine fructu inde recedit, nullum penitus in se incitamentum atque impetum ad meliora experiens, qualem Deus contendentibus, et laborantibus per compunctionem inmittere solet, et hoc solum, ut ne a consuetis, et præscriptis synaxibus absit. mane puta, et vesperi, et horis quibus psallitur, ita simpliciter, ad felicem in virtute progressum, et ad consummationem consummatorum in ætatem Christi sibi sufficere existimans. Novi enim quosdam hac fallacia captos, et operam dantes, ne in peccatum aliquod carnale, si corpus corpore copulaverint, labantur. Ut autem quæ in occulto ab ipsis fiunt, aut quæ in abscondito cordisvolvuntur, cogitanturque fugiant, prorsus nihil pensi habere, et arbitrari, se sine alio opere salvatum iri (precum, intellige, silentii, vigiliarum, continentia, paupertatis spiritus, humilitatis) cum solo, ac simplici ad synaxes occursum. Verum aliter res habet. Deus enim, fratres, non ad faciem, nec ad solam exteriorem morum modestiam, sed ad cor contritum, et humiliatum et quietum, ac Dei timore plenum respicit: *Super quem respiciam, inquit, nisi super mitem, et quietum, et timentem sermones meos* ⁸⁷?

Quid autem de iis loquar, qui, quod indignum est, ad præpositos suos adeunt, atque eos petitionem deponunt? Et quicumque tantummodo exteriori religioni, ac pietati dant operam, aut potius, qui tantum lucris, gloriae, ac presentibus solis inhiant. Annon sumus, inquit, digni et nos, honorande Pater, ut monasterio, et fratribus ministremus? num solus hic et hic ad ministerium hoc idoneus est, et ille melius quam nos res gerere, et administrare novit? Fac periculum, si placet, etiam in nobis, et invenies, per nos rectius, quam per illos tractari negotia monasterii.

Alii vero, cum nudius tertius e mundo advenerint, seque ab ipsa renuntiatione socordiae, ignaviae dediderint, et peccatis seateant innumerabi-

libus, antequam se subjecerint, et in opere Dei laborarint, ac sudarint, corporis imbecillitatem prætendentes, abeunt, stant, innituntur, ut dictum est, cum iis, qui multos jam labores exhausserunt. Et si proximus cuiquam horum dixerit: Ingredere frater in consuetum tibi locum, et sta illic psallens cum fratribus, potes enim, respondet: Ex hoc loco attentius audiens melius psallo, quam ubi stare consuevi. Quod si frater adjuverit: Non potes hic stare, frater, citra facultatem a præposito nostro impetratam, statim digrediens, facultatem orat, corpus debile et infirmum excusans, donec voti compos fiat, et: Ut audiam Pater, inquit, protocanonarcham, et stem in prima statione, aut secunda prope illum, veterano parem se faciens, cujus jam spectata sunt certamina. Et cum assecutus fuerit, quod voluit, ex eo nunquam stare potest in choro.

Paulatim porro talis in quodvis aliud negotium se studens immiscere, externam pietatem simulat, et modestum habitum, aliorum amicis, illustribusque viris in monasterium venientibus studiose occurrit, et ad quos veniunt fratres, crebrius abit, ut in eorum notitiam veniat, causam prætexens, se ex illorum (fratrum scilicet) colloquiis, et divinæ Scripturæ explanationibus utilitatem percipere. Quod igitur consequens est, circumcursare per monasterium, et a cella in cellam ventitare incipit, singulisque dicit: Crede mihi frater, adeo te diligo, ut quo die te non viderim, illo me vixisse non putem. Quod si quis ex illis, quibus adveniens hæc dicit, Deum timet, his ei verbis respondet: Memor sit Deus charitatis tuæ, frater. Quid enim in me vides boni? Tum ille, quid autem boni tu non habes? quis tam mansuetus, pius, sapiens, eruditus, candidus, et quod majus omnibus, paterna gerens viscera, et humanus erga universos? Hæc dicit eo fine, ut de ejus patina simul comedat. Spiritualis autem frater, secundum datam sibi gratiam de salute animæ cum illo agit, et quantum in se est, ejus laudationem rejiciens, fratrem corrigit. Quod si talis inventus non fuerit, sed contra, carnalis, instabilis, laudibus inflatur, excipitque, et quid, o pater, et frater charitate majus? certe nihil. Beatus qui hanc possidet, et alia demum, quæ adulatorem libenter audire, et ad laudandum irritare novit. Postea talis fictis laudibus velut demulsus, ac levitate mentis tumidus, si copia supeditat, mox hunc encomiasten suum nec abire sinit, sed ut secum epuletur rogat, et esca illum excipiens, laudes ventosas recipit, quæ in aerem, fumi instar, dissipantur, detrimentum vero ejus animæ non mediocre apportant. Sin minus, saltem post longos, et inutiles sermones ait illi: Ne mihi vitio des, frater, novit ipsa charitas, nihil te dignum habeo, quod tibi apponam. Sed quia me abjectum sic amas, debemus in posterum commu-

niter, et amice his perfrui, quæ Deus in cibum nobis suppeditaverit, et una letari. Exin igitur uterque horum conflictatur sollicitudine perpetua, nec desinunt vias quærere, unde ipsis queat suppetere, quo per varios ac multos cibos quæ videtur charitatem constabulant. Sic ubi specie dilectionis, imo potius fraude cum omnibus se devinxerit, nunc quidem ipse alium, nunc ex aliis singulis ipsum invitant. Quare mensa, et hilaritas in deliciis pabuli usque ad saturitatem ipsum non deficit, et ita porcus fit, constringiturque voluptatibus, et assiduo ventrem suum colit; vereor eum dicere, etiam ea quæ sub ventre sunt. Quocirca studiose omnibus membris saginatus (14), quotidie vespera veniente, post-ollicium a cœna in cellam suam descendens, famulo dicit: En fureifer, siti erucior, sed calidum para (15), et da mihi bibere, sitimque restinguere. Ille, utpote consuetudinem habens, statim benevolus, et ad faciendum promptissimus minister invenitur, quippe qui et ipse cum eo epuletur. Tum meracius vinum haurit et exsorbet, tenebris eum occultantibus. Et postquam semel bibit, rursus ad cibum appetendum excitatur, epularumque suavitate quasi clam sibi surreptus, satiari se non sentit, ventremque obesum, et intractabilem, et appetitui animæ refractarium reddit. Subjicit ei tunc cogitatio: Dimitte famulum, et stans consuetas preces funde. Respondet huic alia cogitatio: At quomodo saburratus stabis? dormi aliquantum, et naturam ad concoquendum quod comedisti, adjuva, et ante synaxin surge, tum habens corpus levius, commode precaberis. Audit cogitationem, ac recumbens dormit, somnoque solutus non surgit: Sed, nondum, inquit, tempus est, dormiam adhuc unum somnulum. Sic tardantem matutina synaxis antevertit. Inde consurgens ad Synaxin accedit, conscientiam negligentiae desidiaeque suæ accusatricem sentiens. Ut ergo prius diximus, tenet hunc morem, ut crebris amicorum, et charorum Patrum cellas obeat; donec tandem sedeat, una cœnet, bibat, confabuletur, et ita in cellam regressus, non solum ad precationem vespertinam, sed etiam ad Synaxin matutinam ineptus sit, nihil omnino spirituale aut cogitare, aut lacere potis. Quin etiam in cella sua, si alius accesserit, similiter in noctem fabulationem protrahit, et aliquando vitam aliorum carpit, ac dijudicat, atque in tali statu aetatem omnem perseverat, ante tempus ebrietate, crapula, indignis sollicitudinibus sese iens perditum.

Verum cur ego hæc omnia disserui? ut vos docerem, fratres, qui talem vitam ducit, non posse nunquam ex oculis lacrymam emittere. Qui enim emittat, qui semper ventri suo servit, et in diem, sicut ethnici, quid esurus, aut libiturus sit, sollicitus est, et gulæ voluptati tanquam domine ob-

sequitur? Ponamus tamen eum abstinere ab his quæ nominavimus, et neque ad alius cuiuspiam cellam adire, neque alium ad cellam admittere nec distarciendo ventri, aut potationi, aut otiosis sermonibus vacare, sed clauso ostio in cella solum penitus manere, quid hoc ei prodest, si spiritualis actio cum intelligentia desit, sedeat autem legens quippiam ad depromendum aliquid tempore synaxeos, aut etiam in adventu, seu presentia amicorum, ut sciens ac peritus videatur? Sed demus, cum non hoc fine et scopo, sed utilitatis gratia, et ut verbum Dei audiat divinas Scripturas legere: deinde surgere, et ad orandum stare, sintque ejus oratio psalmi duo, tres decem, centum, adorationes similiter eum peragere quam multas v.s. Postmodum sic expletis omnibus, mandat corpus somno, nihil amplius. Quis igitur ei fructus, obsecro, dum istud, et solum agit, nec fructus precum, lectionis, per pœnitentiæ lacrymas in ejus anima efflorescit? qui quidem fructus est perturbationum vacuitas, humilitatis et mansuetudinis accessio, et cognitio cum sapientia. Quilibet enim, qui ex cognitione spirituali opus mandatorum Dei facit, proportionem laboriosæ actionis suæ, quæ dicta sunt, acquirit. Si autem laborare se existimanti, et operanti non efflorescant quæ dicta sunt, non est secundum Deum ejus actio, sed tantummodo ad placendum hominibus, et merito meliora non assequitur. Qui igitur de his, de quibus locuti sumus, perpetuo talem vitam vivit, poterit ne aliquando, sicut ab initio renuntiationis suæ, seipsum totum ad omnia secundum Deum molesta sustinenda, ac patienda exponens, ut supra diximus, lacrymas, aut compunctionem adipisci: aut quæ a mundo illi adherent vitia, et improbitatem, et duritiam cordis abjicere, humilitatemque possidere? neutiquam. Seducit seipsum quicumque sic putat, aut sibi hanc legem fert. Quemadmodum enim non potest ferrum non ignitum æque ut ignitum resplendere, aut ad molitionem alia quadam machina redigi, et fabricari, et in instrumentum usui accommodatum formari: sic neque negligentem ac desidem, et vitam ita noxiam degentem, ut docuimus, possibile est ei, qui a principio ex subjectione erga Patres spirituales præclaris veluti formis impressus atque consignatus est, et vitam virtutibus ornatam consecutus parem esse, iisdemque donis, et charismatis Spiritus frui. Nec injuria. Qui enim est humilis corde, cogitationesque submissas, et animum contritum gerit, et divinis Scripturis studiosius parere decrevit, et quamvis tribulationem sustinet, genus omne tentationum perfert, insuper omnibus abjectionibus se annumerat, actiones videlicet suæ, et peccata reputans, et quotidie semetipsum reprehendens, atque ut peccatorem considerans, brevi tempore, Dei adjutus gratia, proficit, quam-

(14) Ἐκ τῶν ὀργάνων γαστριζότινος.

(15) Ἀλλὰ θερμὸν εὐπρεπίσας; Nam calidus po-

tus olim in deliciis habebatur, de quo Lipsius lib. II Elect. cap. 4.

vis hominum non habeat, a que ad salutem pertinentia doceatur : paulatim excindens ab anima sua, quæ ei ex hoc mundo pravitates, et nequitiae adhærescunt, illarumque loco virtutes introducens. Qui vero immunditia plenus est, et se magnifice circumspicit, ac sub potenti manu Dei humiliari, Patrique spirituali cordis sui nequitias revelare, et ei adherere, facereque et pati omnia quæ ad virtutem et Deum cum discretionem perducunt, hominemque secundum ipsum perficiunt, non vult, pejor sit quam in mundo erat, spiritu mundano reverso, et in eo habitante, cum aliis septem nequam spiritibus. Et ita ille alius fratrem una secum stadium ingressum tantum antegreditur, aut vincit, quantum qui liber, ac solutus currit, vinculis et compedibus ferreis impeditum superat : at iste victus, in malis prioribus, aut deterioribus etiam permanet, nolens in deprecandis sibi sponte virtutis certaminibus, facinora bona facere.

Ideo, ut supra docui, et Scriptura divinitus inspirata passim testatur, fructus actionis, et fructuum conciliatrix, imo vero effectrix ac parens, et fabricatrix virtutum omnium compunctio est. Proinde qui affectiones turbidas amputare, aut virtutes possidere cupit, hanc præ bonis omnibus, et cum virtutibus omnibus diligenter consecetur necesse est, sine qua animam suam haud unquam puram intuebitur, atque ita etiam corporis puritatem nequitiam acquirat. Sine aqua siquidem vestimentum conspurcatum abluere non datur : et sine lacrymis anima abluatur, atque a maculis inquinamentisque purgari multo minus potest. Ne inanes, animæque noxias, sive, ut verius dicam, penitus falsas, et exitiosas excusationes excusemus : sed hanc virtutum reginam toto pectore exquiramus. Qui enim id toto animo facit, illam invenit : vel potius ipsa accedens, se cum labore requirentem invenit : et seu arce, seu ferro, seu adamante cor durius habuerit, simul atque advenerit, quavis cera illud mollius reddit. Est enim divinus quidam ignis, montes et petras resolvens, et complanans omnia, et in hortos commutans, animasque ipsum suscipientes alias quam erant efficiens. Nam in medio earum fit fons, unde aqua vitæ semper saliens, et emicans eas large irriget, et tanquam a vase in eos qui prope, et eos qui longo defluat, abundeque impleat animas, quæ sacra verba cum fide suscipiunt. Eluit enim primo labes eorum, qui se inquinaverunt : postea vitio implicitas affectiones una eluit, ac profligat, eas ceu vulnerum crustas abstrahens, puta nequitiam, invidiam, vanam gloriam, et cætera omnia quæ illas consequuntur. Nec id solum, sed etiam ut flamma quædam ambiens, sensim eas abolet, et in horas veluti spinas exurit, atque consumit : quæ etiam primum quidem perfectæ hujus libertatis et puri-

latis. Deinde honorum a Deo ipsum diligentibus præparatorum, ac repositorum desiderium ingerat. Hæc universa cum lacrymis, vel potius per lacrymas divinus compunctionis ignis operatur. Absque lacrymis autem, ut diximus (16), nihil horum aut in nobis ipsis, aut in aliis unquam factum est, neque fiet. Nec enim ex divinis Scripturis quisquam probabit, citra lacrymas, compunctionemque perpetuam aliquando quempiam purgatum fuisse, aut sanctitatem invenisse, aut Spiritum sanctum accepisse, aut Deum vidisse, aut in se habitantem sensisse, aut omnino aliquando hunc cordis incolam habuisse, pœnitentia, inquam, compunctioneque non præcedente, et quasi a fonte semper scatentibus assiduo lacrymis ; inundantibus nimirum, eluentibusque domicilium animæ, eamque ab igne inaccessum occupatam, et ardentem irrorantibus ac refrigerantibus.

Qui igitur autumant dies ac noctes flere non esse possibile, seipsos omni virtute nudatos produunt. Si enim sancti Patres nostri ita asseruerunt, dixeruntque, qui vult perturbationes amputare, fletu eas amputat, et qui vult comparare virtutes, fletu eas comparat, manifestum est, qui non quotidie fundit lacrymas eum neque perturbationes amputare, neque virtutes probe acquirere, etiamsi ad operam se dare arbitretur. Quid namque, orate, instrumenta artis conducunt, si artifex non adsit, qui materiam tractare, et ex ea vas idoneum conficere novit ? Et quid olitori prodest, si hortum totum subegerit, olerumque omne genus in eo seminaverit, atque plantaverit, si super ea cælo imber non descenderit, aut si aqua irrigata non fuerint ? Nihil prorsus. Sic neque qui in aliis virtutibus elaborat, easque persequitur, sine beata illa, et sancta domina, virtutumque omnium architecta ullum operæ pretium faciet. Ut enim imperator sine exercitu suo infirmus est, et in cuiusvis potestatem venire potest, nec imperator apparet, sed cæterorum hominum similis est : sic vicissim frequens exercitus, et castra imperatore, aut summo duce suo destituta, levi negotio dissipantur, delenturque ab adversariis. Eodem modo luctum ad reliquas virtutes habere se existima. Exercitum enim in unum collectum, omnes isagogicas, ac veluti præcursorias virtutes esse cogita : imperatorem, et ducem harum beatum illum luctum, et ploratum, per quem totæ copiæ in aciem digeruntur, et ordinantur, incitantur, corroborantur, et arma capere ubi, quomodo, et quando, et quæ, et in quem, et ejusmodi adversarium, et qua occasione oporteat, certa lege docentur. Qui præterea mittendi speculatores, quales constituendæ excubiæ, quid, et quando respondendum hostium legatis. Licet enim solo affatu omnes eos in fugam vertere. Interdum ne in

(16) Vide Adnot. in orat. 39. Hanc Symeonis disputationem, aut caute lege, aut benigne interpretare.

congressum quidem eos admittere. Qua item ratione, et quando in insidiis contra eos latendum, et quibus in locis, et quanta manus ad hoc emittenda, ipse luctus non dubie constituit. Sine his populus virtutum universus facile capitur.

Atque idcirco cum omnibus, et præ omnibus hoc vestrum opus sit, fratres, pœnitentia, et ei conjuncta lamentatio, lamentationisque comites lacrymæ. Nec enim sine pœnitentia lamentum, nec sine lamento lacrymæ: sed hæc tria invicem sibi connexa sunt, et aliud sine alio apparere non potest. Ne quis ergo dicat, quotidie flere esse impossibile; nam qui ita loquitur, etiam quotidie pœnitere dicit esse impossibile, et totam Scripturam sacram evertit, ne dicam, ipsum quoque mandatum Dei, quo dicitur: *Pœnitentiam agite*, *appropinquavit enim regnum cœlorum*⁸⁸. Et iterum: *Petite et accipietis, quærите et invenietis, pulsate et aperietur vobis*⁸⁹. Si enim pœnitere, et lamentari, et flere quotidie ais impossibile, humiliare se, et semper gaudere, et sine intermissione orare⁹⁰, quin etiam ipsum cor ab omnibus perturbationibus et cogitationibus ad Deum spectandum habere liberum, tu ne unquam dices homini mortali esse possibile, et ab eo ista recte præstari posse? haud dices. Et ita in numero infidelium, non fidelium reponere. Nam si Deus hæc a nobis effici posse dixit, et præcepit, et assiduo clamat, tu autem contrarium affirmas, nempe, impossibilia nobis esse, p'ane nihil ab infideli differs. Vis igitur nunquam Eucharistiam percipere sine lacrymis? fac quæ abs te cantantur simul, et leguntur, tunc etiam istud præstare poteris. Audi Apostolum: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*⁹¹. Quæ porro illa sunt? Tu ne funditus ignoras? sed ne oratione longius procedamus, ipsa tibi Davidis verba suggerimus: *Si ascendero, inquit, super lectum strati mei: si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem: et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*⁹². Et rursus: *Non est pax ossibus meis, a facie peccatorum msorum, quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et velut onus grave gravatæ sunt super me. Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ. Laboravi, et incurvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar. Afflictus et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei*⁹³. *Et factus sum sicut passer solitarius in tecto: similis factus sum pellicano in solitudine. Qui cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam*⁹⁴. *Laboravi in gemitu meo. Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo*⁹⁵. Porro etiam auctor Scalæ, sanctus Joannes ait: *Sitis et vigilia premunt cor,*

A presso corde prosiliunt lacrymæ. Quæ iusuper de his disserit. lecto ejus libro, quis voluerit, cognoscet.

Jam si et tu, quæ in dies legis et psallis, aut aliis legentibus audis, nihil omittendo, toto corde, cum humilitate et fide in omni vita præstiteris, amen *evangelizo tibi gaudium magnum*⁹⁶. Nam si in his faciendis perstiterit, sitiendo, vigilando, usque ad mortem te subjiciendo, et obediendo præposito tuo indiscriminatim, omnem tribulationem, injuriam, maledicta, calumniam, nec isthæc tantum, sed etiam flagella et verbera a fratribus tuis abjectioribus cum omni gratiarum actione sustinendo, ita erga eos affectus, ut mala ab illis tibi illata non memineris, et pro eis oraveris, gaude et exulta gaudio ineffabili, quia non solum vesperi, mane et meridie, sed etiam edenti et bibenti tibi, et sæpius cum aliis alloquenti, psallenti, et legenti, et precanti, et super lectulo recubanti ipsum Dei inexplicabile donum veniens, se dignabitur te omnibus diebus vitæ tuæ, et comitabitur te in via, et cum diverteris, tecum divertet, et cum ministrante ministrabit, laborum tuorum molestias ac dolores consolans et recreans. Ac tum, quam bene convenienterque sanctus Simon dixerit, nemini communicandum absque lacrymis, et hoc fieri posse, et revera omnes decre intelliges. Non enim ille, sed per illum Spiritus sanctus locutus est, et scripsit. Si namque sine peccato nullus est, nec infans, cujus est unius diei vita⁹⁷, et nemo potest castum habere cor, clarum est, nec sine pœnitentia et lacrymis debere hominem, quantum in se est, vel unum, et solum diem in omni vita sua traducere. Quamvis enim lacrymis careat, nihilominus ex tota virtute, et anima eas desiderare debet: siquidem aliter peccati purus, et corde castus esse nequit.

Quod si quis multitudinem, gravitatemque suorum delictorum secum expendens humi cubare, et pervigilare noluerit, nec præ negligentia, et contemptu potentes ac putridas vibices, affectibus malis obnoxii appetitus, et anticipatarum opinionum, quæ eum ad stuporem istum perduxerunt, corrigere sustinuerit, quæ vera insipientia est, quo pacto paratum peccatoribus iudicium, et damnationem apprehendet, et in dolore cordis sui plorabit? Sic recusat tribulari laboribus et ærumnis perferendis, dum incurvatur usque in fidem, et tota die contristatus ingreditur, dum affligitur, et humiliatur nimis, rugit a gemitu cordis sui, et lit tanquam passer solitarius in tecto, et assimilatur pellicano in solitudine, dum affectione animi hospes et peregrinus sit ad omnia, quæ in monasterio, et in mundo sunt, et in parvis æque ut in magnis nihil ei licet, dum laborat in gemitu, et cinerem tanquam panem manducat, et potum suum cum

⁸⁸ Matth. iv, 17. ⁸⁹ Matth. , 7. ⁹⁰ I Thess. v, 17. ⁹¹ Rom. ii, 13. ⁹² Psal. cxxxvi, 3-5. ⁹³ Psal. xxxvii, 4-9. ⁹⁴ Psal. ci, 7-10. ⁹⁵ Psal. vi, 7. ⁹⁶ Luc. ii, 10. ⁹⁷ Job xiv, 4 sec. LXX.

fletu miscet; quomodo is unquam, fratres mei, aut lavare singulis noctibus lectum suum, aut lacrymis rigare stratum suum poterit? Sane nunquam poterit. Non solum hæc in se facta non videbit, sed nec in precibus suis ea inveniet, neque locum Domino, neque tabernaculum dignum Deo Jacob, qui est Christus Dominus, Salvator et Deus noster, præparaverit. Quod nisi hæc prius bene præparabit, neque cum lacrymis scilicet, neque digne, ut par est, consortem ac socium Deum ac regem in seipsum suscipiet, etiamsi semel tantum in anno hoc faciat. *Sancta sanctis* quotidie hi quidem dicunt, et alii alta voce occinunt, utinam autem et sibi met occinerent. Alii vero dicentes illos auditis. Quid ergo? qui sanctus non est, etiam indignus est? minima: sed qui non in singulos dies occulta cordis sui enuntiat: qui non dignam pro his, et quæ ignorantia peccavit, poenitentiam agit, qui non semper luget, et contristatus ingreditur, et quæ supra memoravimus, cum diligentia non consecratur, hic indignus est. Qui autem hæc præstat universa, et in gemitibus atque lacrymis spatia vitæ suæ decurrit, hic non in die festo duntaxat, sed etiam quotidie, ab ipso, si dici fas, initio poenitentiae suæ conversionisque divinorum istorum particeps fieri perquam dignus est. Pater quippe, hunc in his, et similibus operibus ad extremum usque perseveraturum, in humilitate et contritione cordis incedentem. Nam dum ita se gerit, animo illustratur atque in dies singulos ex participatione sanctorum operum et auxilium consequitur, et ad perfectam puritatem, ac sanctimoniam brevi provehitur. Alio quodam modo immundum vas nostrum, sordidumque domicilium ablui, ac perpurgari nequit. Amplius aliquid ego quidem neque e divinis Scripturis didici, neque mente meo invenire ac perspicere potui. Audiamus enim dicentem Apostolum: *Probet autem unusquisque seipsum, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim indigne manducat et bibit, iudicium sibi manducat et bibit*⁶⁸. Rursumque: *Qui autem indigne manducat corpus, et bibit sanguinem Domini, reus erit corporis et sanguinis Domini, non dijudicans corpus Domini*⁶⁹. Quod si, qui dignos poenitentiae fructus non ostendit, ut indignus a tota divina Scriptura redarguitur, cedo, quomodo sine lacrymis aliquando purgari quisquam poterit, et pro viribus suis digne participare mysteria? Hæc namque primus poenitentiae fructus sunt. Et quemadmodum aversandus ille fluxus e corpore, et cordis cum omni affectu tanquam voluptaria quædam, et libidinosa commistio, diabolo instar sacrificii a nobis offertur: sic quæ ex eo, ex corde, inquam, vicissim promanant lacrymæ, gratum acceptumque sacrificium Domino a nobis offeruntur, et furentis illius voluptatis turpitudinem eluunt. Hoc significans David aiebat: *Sacrificium Deo spiritus*

*contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*⁷⁰. Et recte. Anima enim nostra in tali habitu constituta, et ita humiliata assidue, nec unum unquam diem absque lacrymis exigit, secundum illud Davidicum: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*⁷¹.

Quocirca vos rogo, Patres et Fratres mei, sedulo quilibet animam suam in his et talibus rebus exerceat, quæ compuncta et paulatim immutata fons efficitur, lacrymarum et compunctionis fluentia scaturiens. Ni ita puri evadere contendemus, sed in dissolutione, segnitie et timore superbiæ pergere voluerimus, equidem nihil odiosius dicam, parcens charitati vestræ, nisi hoc, quod etiamsi contigerit aliquando cum lacrymis fortasse communicare quempiam, aut ante liturgiam, aut in ipsa divina liturgia, aut in ipso articulo participationis divinorum mysteriorum lacrymas emittere, reliquis autem dies et noctes non studebit idem facere, nulla ei ex unico fletu constabit utilitas. Non enim hoc solum nos statim purgans dignos efficit: sed in dies, et sine cessatione usque ad supremam lucem in luctu versari, quemadmodum ut faceremus, ipse Dominus nobis præcepit: *Pœnitentiam agite, inquit; Petite, quærite, pulsate. Quousque? donec accipiatis, inquit, et inveniatis, et aperiat vobis. Quid? Regnum cælorum utique. Hæc enim est poenitentia, et ita absque cessatione, ut dicebamus, usque ad mortem cum labore, et tribulatione consummata, paulatim facit nos lacrymas nobis amaras fundere, per quas animæ sordes, et inquinamenta purgat et abstergit. Postea puram nobis poenitentiam inserit, et amaras lacrymas dulcibus permutat, perennemque in cordibus nostris lætitiæ excitat, et ad videndum lumen inaccessum nobis viam parat: quod lumen nisi omni studio apprehendere laboremus, patres et fratres mei spirituales, nunquam omnibus perturbationibus ad unguem liberari poterimus; nunquam omnes virtutes comparabimus; nunquam digne, aut cum lacrymis secundum Deum quotidie divina percipere mysteria, aut quod in iis est, divinum lumen aspicere poterimus. Sed neque cor purum unquam habebimus: neque Spiritum sanctum in nobis habitare cognoscemus: neque digni iudicabimur, ut quemadmodum sancti, Deum videamus, nec dum hic sumus, nec ibi, ut mihi videtur, cum cæci hinc discesserimus. Nam ex Gregorii Theologi sententia, tantum illius visione excidemus, quantum nos singuli volentes in hæc vita ejus lumine, secundum proportionem hebetudinis oculorum nostrorum privaverimus. Cæterum utinam omnes nos purgari contingat, et purgatos haberi dignos qui Deum videamus! Qui enim extra hæc duo a rebus mortalibus demigrant, de extrema in se pronuntianda sententia incerti sunt. Quod autem*

⁶⁸ I Cor. xi, 28, 29. ⁶⁹ Ibid. 27. ⁷⁰ Psal. l, 19. ⁷¹ Psal. vi, 7.

incertum, etiam instabile, non sperabile, et incertæ fidei est. Qui enim gratia cor non stabilivit, non aliunde spem non confundentem, et indubiam unquam acquireret, ut opinor. Qua qui caret, per quid aliud in occursum Domini cum sanctis rapitur? Per quid et lampas tunc nostra, extincta ab his quæ hic sunt, redaccendetur? ubi et unde oleum invenietur? et quinam ignis, quæso, hanc accensurus est? aut unde, aut quomodo, ut tunc parati hilariter cum lampadibus Sponso obviam eamus? Cum enim velut enim e somnis consurrexerimus, illico, ut auditis, ad occursum cursuri sumus. Si igitur sedentes, et in monumentis dormientes tuba insouans nos expergeficiet, nos autem non ante velut lampades accensas habeamus animas, sed aut nihil penitus, aut parum lucentes inveniamur, et jam extinguendi secundum vocem evangelicam, ubi tunc aut prorsus extinctas redaccendendi, aut jam oleo deficiente aliquantulum infundendi copia erit? Nihil profecto uspiam inveniemus. Quamobrem ex hoc tempore eas per pœnitentiam, et lacrymas luculenter accendere conemur, ut in resurrectione Sponso cum luce occurramus, et cum ipso in regnum cœlorum ingrediamur, ac bonis sempiternis perfruamur. Quæ eveniant nobis omnibus in ipso Christo Deo nostro, quem decet omnis gloria, honor et adoratio cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

De pœnitentia, et tantum facultates distribuere, sequæ rebus omnibus nudare, ad purgationem animæ nobis haud sufficere, nisi luctum insuper habeamus. De exsilio Adami, et si post transgressionem pœnituisset, paradiso ejiciendum non fuisse. Quantum boni pœnitentia post lapsum ei attulerit. Quomodo vere pœnitendum sit.

Bona est pœnitentia, et quæ inde emanat utilitas. Quod cum nosset, qui novit omnia Jesus Christus Dominus ac Deus noster: *Pœnitentiam agite*, inquit, *appropinquavit enim regnum cœlorum*⁷². Quod si intelligere auctis, quo pacto citra pœnitentiam, et pœnitentiam ex animo, qualem Scriptura sancta a nobis requirit, salvari non possumus, ipsum Apostolum clamantem audite: *Omne peccatum extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*⁷³. Et iterum: *Manifestari nos omnes oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, prout gessit in corpore suo sive bonum, sive malum*⁷⁴. Potest igitur hinc quilibet sæpenumero dicere, Gratias ago Deo, quandoquidem nulla prava actione contaminavi membrum corporis mei: quod quidem ego omnis iniquitatis operarius adhuc dicere nequeo. Et capit nimirum ex hoc solatium, quia extra peccatum sui corporis est. Sed contradicit Dominus, et

A allata in medium quinq̄ue fatuarum virginum parabola⁷⁵, demonstrat nobis omnibus, et pronuntiat, nihil nobis commodare puritatem corporis, si reliquis virtutibus destituti simus. Illæ enim particulatim oleum habentes in vasis suis, id est, aliquarum virtutum, externorumque recte factorum, et quorundam charismatum participes (quare et lampades earum aliquandiu arserunt), per negligentiam, ignorantiam, socordiam suam ad ignem exteriorum damnatæ sunt. Non enim internas motiones a malignis spiritibus in ipsis concitatas curaverunt, nec exacte cognoverunt, sed ab adversariorum instigationibus eorum mentes in consensu cogitationum corruptæ sunt, inescatæ ab ipsis, et devictæ, et occulte eis communicantes, javidia, emulationi, contentioni, rixæ, odio, iræ, nequitia, malevolentia, vanæ gloriæ, studio hominibus placendi, complacentia, avaritia, concupiscentia carnis, in cogitationibus voluptatem operantes, incredulitati, metus vacuitati, timiditati, acedia, tristitia, contradicentia, tumori, somno, opinioni propria, justitia, elationi, arrogantia, aviditati, luxuria, avaritia, desperationi reliquisque subtilibus improbitatis effectis. Etiam ipse B. Paulus apostolus cum Domino consentiens, clamat: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*⁷⁶. Cur usus est verbo *Sequimini*?

C Quia nos una hora fieri, et esse sanctos impossibile est. A parvis enim ducto initio, ad sanctitudinem puritatemque sensim progredi oportet, et quia quamvis mille annos in hac vita maneremus, nunquam ejus perfectionem attingere possumus: sed semper quotidie, ac si fundamentum poneremus, inciperemusque, in ea contendere debemus. Quod idem rursus indicavit, cum ita scripsit: *Persequor, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu*⁷⁷.

Quapropter oro, attendite dictis, et *Venite adoremus, ac procidamus ante bonum ac benignum Deum. Præveniamus faciem ejus in confessione, et ploremus ante eum, qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus*⁷⁸, et non avertet faciem suam a nobis, tantum pœniteat nos peccatorum ex intimis præcordiis, et abiciamus a nobis non solum mala opera nostra, sed et ipsas malas et immundas cogitationes cordis nostri ejiciamus, sicut scriptum est? *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*⁷⁹. Quid enim habet emolumentum, obsecro, si omnibus fortunis nostris in pauperes distributis, a peccato non abstinuerimus, nec illud oderimus? Quid tum porro, si re ipsa, et actu corporale peccatum non perpetremus, animo autem cum lædis et immundis cogitationibus commercium habeamus, secretoque peccatum designemus, et

⁷² Matth. iv, 17. ⁷³ I Cor. vi, 18. ⁷⁴ II Cor. v, 10. ⁷⁵ Matth. xxv, 1 seqq. ⁷⁶ Hebr. xii, 14.
⁷⁷ Philipp. iii, 12. ⁷⁸ Psal. xciv, 6, 7. ⁷⁹ Job ii, 13.

ab effrenatis affectionibus regnum quoddam tyrannidemque patiamur? Cum facultatibus nostris, etiam quæ diximus malorum consuetam servitutem, quæso, proficiamus, neve hic consistamus, verum pœnitentiæ lacrymis quoque eorum sordes studiose abluamus. Quemadmodum enim ipse imperator, qui diadema et purpuram imperii symbola gestat, qui immensos auri argentique thesauros possidet, et in throno excelso et elevato consistet, si cœnum ac fuliginem alicunde volens sustulerit, ipsisque manibus totam faciem suam obleverit, atque omnes sensus obstruxerit, ut neque audire, neque odorari possit: deinde facti pœnitens, et se malo hoc liberare quærens, non celeriter cubiculum suum ingrediatur, multaque aqua lutum illud ac fuliginem abluat, atque ita denuo in solio, ut antea, mundatus, in solio, inquam, regni sui resideat, sed hujus loco tantummodo omnes thesauros suos egentibus dispertiat, omniaque bona sua mobilia et immobilia illis dilargiatur, nihil hinc sibi proderit, nisi aqua lutum ac fuliginem abluerit: quia etiam aspicientibus risum movebit, in medio asseclarum ac procerum suorum instar potenti seu spectri obversans: sic nec alius quispiam sibi quæstum colliget, si omnibus opibus suis in pauperes effusis, quamvis inopiam mendicitatemque susceperit, peccare tamen non desierit, nec per pœnitentiam et lacrymas animam suam eluerit. Quicumque enim homo, perinde ut ego damnatus, peccavit, et cœno voluptatum sensus animæ suæ obturavit, quamvis rem suam omnem pauperibus donaverit, omnemque gloriam dignitatum, pulcherrime ædificatas ædes, nobiles equos, greges, armenta, servos, omnem suam familiam, et cognatos reliquerit, egensque, et inops monachi habitum induerit, attamen, ut re quadam vitæ suæ necessaria eget pœnitentiæ lacrymis, quibus cœnum peccatorum suorum abluat, eoque magis, si adhuc, quemadmodum ego, fuliginem et cœnum plurimorum delictorum suorum non in facie solum et manibus, sed omnino in toto corpore circumferat. Haud enim unica facultatum largitio ad purum animi statum nobis sat est, fratres, nisi etiam lamentemur et ploremus ex animo.

Puto equidem, nisi ego memetipsum omni sedulitate a maculis peccatorum meorum fuis lacrymis expurgem, sed ita turpatus vitam compleam, jure optimo me a Deo et angelis ejus irrisum, et cum dæmonibus in ignem æternum daturbatum iri. Et revera sic est, fratres; *Nihil enim intulimus in hunc mundum*⁸⁰, ut cum peccaverimus, id ipsum Deo ad peccata nostra redimenda pretii loco persolvamus: *Quid enim dabit homo Deo, ait Apostolus, et retribuetur ei*⁸¹? Hoc est verum iudicium, hæc justa et vera humilitas; sicut et Spiritus

A sanctus per prophetam David inquit: *Non accipiam de domo tua vitulos, et de gregibus tuis hircos, quoniam mea sunt omnia*⁸², et quæ sequuntur. Et rursus: *Si voluisses, sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias*⁸³. Hæc etiam cum sciret Dominus, dicebat: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas. Non veni solvere, sed adimplere*⁸⁴. Non enim per terrena medicamenta, hoc est, per corporales justitias donorum, sacrificiorum, holocaustorum, et reliquorum ab anima morbum inaspectabilem turbidorum motuum depellere poterat. Hinc et Joannes: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*⁸⁵. Et iterum Paulus: *Lex enim spiritus vitæ (quod est Evangelium) liberavit nos a lege peccati et mortis*⁸⁶. Placet autem discere, quomodo Christus legem et prophetas impleat? Lex ait: *Non occidas*; Christus, *Ne irascaris*. Lex, *Non mœchaberis*; Christus, *Non concupisces*. Lex, *Non pejerabis*; Christus, *Non jurabis omnino*⁸⁷. Qui ergo non irascitur, qui tandem occidet? qui non concupiscit, quomodo mœchabitur? qui penitus non jurat, quomodo pejerabit? radices enim peccatorum Salvator per legem Spiritus sui ab ista anima evellit. Et hæc plenitudo legis, ut homo sit, et vivat in solis mandatis ejus, ut sola illius jussa servet et operetur. Contra omnia enim peccata omnia mandata Christi nobis data sunt, et in his solis vivendum atque operandum ei qui vitam æternam desiderat adipisci: in cæteris omnibus esse velut mortuum, omni functione carentem: *Si verba mea in vobis manserint, ait Dominus, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*⁸⁸. Sequamur ergo Verbum sedulo, donec ad locum perveniamus ubi Christus ipse est: illuc enim se sequentes trahit, et in Sancta sanctorum introducit; ut magnus pontifex quo, quoad nos attinet, ipse pro nobis Præcursor introivit, sicut ipsemet inquit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego enim sum via, veritas, et vita*⁸⁹. Et alio loco: *Volo, Pater, ut quos dedisti mihi, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi*⁹⁰. Cum ipso itaque cruci configamur, per omnium tentationum nos invadentium tolerantiam, et per voluptates hujus vitæ commoriamur ei, ut etiam vivamus cum eo. Cum ipso puris mentibus viam ad cælum ducentem ambulemus. Gradientibus etenim nobis per viam mandatorum Domini ac Dei nostri, eumque sequentibus, nec retro pedem referentibus, nihil inimicus nocere poterit, maxime si cum fidei duce, bonisque comitibus incesserimus. Metuamus exemplum ob sterilitatem maledictæ ficus, et Christo dignos pœnitentiæ fructus offeramus: ne per ignaviam animæ dormitantes, lampade,

⁸⁰ 1 Tim. vi, 7. ⁸¹ Rom. xi, 35. ⁸² Psal. xlix, 9. ⁸³ Psal. l, 18, 19. ⁸⁴ Matth. v, 17. ⁸⁵ Joan. i, 29. ⁸⁶ Rom. viii, 2. ⁸⁷ Exod. xx, 13 seqq. & Matth. v, 21 seqq. ⁸⁸ Joan. xv, 7. ⁸⁹ Joan. xiv, 6. ⁹⁰ Joan. xvii, 21.

quæ ex illis ardet, carcamus, et ne, dum tempus A
est operandi, per fallacias vitæ vagantes, virgini-
bus fatuis similes efficiamur: sed pro honorum
operum proportione, talentum gratiæ multiplicemus.
Universis enim, etiam laicis, non monachis tantum,
semper, et quovis tempore poenitentiam agere,
 flere, et Deo supplicare, perque actiones hujus-
cemodi etiam cæteras virtutes omnes comparare
possibile est.

Hoc ita esse, magna illa columna, et magister
Ecclesiæ, Joannes Chrysostomus, mihi testis acce-
dit, dum psalmum Davidis quinquagesimum ex-
planat. Asserit enim, qui uxorem, liberos, ancillas,
servorum ingentem numerum, amplas facultates
habet, et rebus hujus sæculi eximie oret, posse
non solum ut ploret quotidie, et oret, et poeniteat,
sed etiam, ut ad virtutis perfectionem ascendat,
si velit, et Spiritum sanctum accipiat, et amicus
Dei fiat, et insuper ejus visione fruatur, quales
etiam ante Christi adventum fuerunt Abraham,
Isaac et Jacob, et qui inter Sodomitas vivebat
Lot, et, ut multos alios prætermittam, Moses et
David. In nova autem gratia, cum Deus ac Salva-
tor noster apparuit, Petrus piscator, et illitteratus
cum socio, et aliis præsentem esse Deum prædi-
cans. Reliquos, plures quam sint pluviarum guttæ,
aut stellæ cœli, quis percensuerit? reges, princi-
pes, dynastas (nō nomine pauperes, et qui parva
in re vitam agitarunt suam) quorum urbes, et
domus, et ecclesiarum naves, quas illi magnifice
condiderunt: quorum gerocomia, seu senibus
alendis domicilia, et xenodochia manent, et ex-
stant usque hodie, quæ illi superstites habebant,
et his pie utebantur, non ut propriis, sed ut servi
Domini ea quæ ipsis Dominus dedisset, admini-
strantes, et hoc mundo utentes quidem secundum
Pauli vocem, non autem abutentes²¹. Nam pro-
pterea etiam in hac vita inclyti et illustres fuerunt,
et nunc sunt, et sæculis innumerabilibus erunt,
atque in cœlestibus illis sedibus etiam amplius.
Quod nisi pigri, inertes, mandatorumque contem-
ptores essemus, sed seduli, excitati, vigilantes,
nihil abdicatione rerum, aut tonsura, aut fuga
mundi opus haberemus. Hoc ut probemus, auscul-
tandum.

Deus ab initio hominem omnium terrenorum,
quin omnium, quæ complexu cœli continerentur,
regem constituit. Nam sol, luna, astra propter
hominem plane creata sunt. Quid igitur, cum esset
rex horum quæ videntur omnium? Num hæc illi
ad virtutem impedimento fuerunt? non sane, non,
inquam: quinimo majorem in modum inclaruis-
set, si Deo conditori suo a quo hæc omnia acce-
perat, gratus mansisset. Nam si mandatum Domini
non fregisset, regnum istud non perdidisset, Dei
gloria non semet spoliasset. Quia vero secus fecit,

merito expulsus, et exsilio multatus vixit, ac mor-
tem obiit.

Dicam tibi quiddam, quod meo iudicio nemo
adhuc satis explanavit. Quidnam ergo? attende ad
divinam Scripturam²². *Et dixit Deus Adamo*, post
prævaricationem puta: *Adam, ubi es?* quid sibi
vult his verbis omnium Procreator? Omnino, ad
sensum casus sui eum adducere, atque ad poeni-
tentiam provocare volens, inquit, *Adam, ubi es?*
Considera teipsum, et perpende nuditatem tuam.
Vide quali indumento, quali gloria privatus sis.
Adam, ubi es? velut si eum hortaretur, ac diceret:
Hem, resipisce, miser, hem egredere ubi te abscon-
disti. Me latere te posse existimas? dic, Peccavi.
At ille hoc non dicit, vel potius ego infelix non
D dico, meum enim malum hoc est. Sed quid re-
spondet? *Vocem tuam audivi, deambulantis in para-
diso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi
me.* Quid contra Deus? *Et quis indicavit tibi, quod
nudus esses, nisi quia de ligno de quo præceperam
tibi, ut de eo solo non comederes, comedisti?* Vides,
dilecte, longanimitatem Dei? Cum diceret ipse
Adamo, *Ubi es?* et ille non statim peccatum confi-
teretur, sed responderet, *Vocem tuam audivi, et
timui, eo quod nudus essem, et abscondi me,* non
est iratus, non est repente aversus; sed secunda
illum quæstione dignatur, et ait: *Quis enim in-
dicavit tibi, quod nudus esses, nisi quia de ligno, de
quo præceperam tibi, ut de eo solo non comederes,
comedisti?* Intellige profunditatem sermonum sa-
pientiæ Dei. Quid dicis? *Quod nudus essem,* in-
quit. Peccatum tuum abscondis? an putas me
tantum corpus tuum videre, cor autem, et cogi-
tationes tuas non perspicere? Sperabat enim de-
lusus Adamus, Deum ignorare peccatum ipsius, et
sic quodammodo secum loquebatur. Si dixerō
me nudum esse, nesciens Deus, quæret, cur nu-
dus sim. Tunc mihi negare licebit, et dicere, ne-
scio, possumque latere illum, et primam stolam
recipere. Sin minus, tamen me non ejiciet, tamen
in exsiliū non mittet. Hæc illo apud se volutante
(ut et nunc multi faciunt, et ego primus, sua pec-
cata occultantes) Deus nolens adversum eos mul-
tiplicare iudicium ac damnationem, ait: *Et unde
nosti, quod nudus sis, nisi quia de ligno, de quo
D præceperam tibi ne comederes, comedisti?* quasi
diceret. Et omnino me latere putas? egone quid
feceris ignoro? non dices, Peccavi? dic miser,
etiam, revera mandatum tuum transgressus sum.
Audivi consilium mulieris, et lapsus sum, dece-
ptus sum vehementer, illi parens, et tibi inobe-
diens. Miserere mei. Atqui non dicit istud, non
humiliatur, non flectitur: *Nervus ferreus cernix
cordis ejus*²³, quasi nimirum et ego miser sum.
Si hoc verbum protulisset, in paradiso mansisset,
totamque illam periodum malorum infinitorum,
quæ exterminatus subit, et tot sæcula, quibus

²¹ II Cor. vii, 51. ²² Gen. iii, 9 seqq. ²³ Isa. xlviii, 4.

apud inferos delituit, unica voce hae evadere potuisset.

Hoc igitur est, quod me dicturum pollicebat. Audi reliqua, et quod dixi, citra ullam falsitatem verum esse cognosces. Dixit Deus Adamo : *Quacunque hora comederitis de ligno, de quo præcepi vobis ne comedatis, morte moriemini*²³, morte videlicet animæ, quod et ipsa illa hora factum est, ideoque stolam immortalitatis perdidit. Nihil amplius prædixit Deus, et nihil præterea factum est. Præsciens enim, ut Deus, peccare posse Adamum, volensque pœnitenti ignoscere, nihil amplius, ut dictum est, contra eum antea pronuntiavit. Postquam autem negavit peccatum suum, et neque reprehensus a Deo pœnitentiam concepit, ait enim : *Mulier, quam dedisti mihi, ipsa me decipit.* — *Quam dedisti mihi; o animam parum attentam, ac Deo quasi dicentem, Tu offendisti : Mulier quam dedisti mihi, ipsa me decipit, quod et nunc abjecto mihi, et infelici usu venit : non enim volo unquam humiliari, et dicere ex animo, Ego perditionis meæ causa sum : sed aio, ille me ad hæc, et illa dicenda, facienda instigavit. Ille mihi suasit, ut hoc et hoc facerem, et patrarem. O infelicem animam, verba peccati plena profundentem ! O animæ impudentis et scelestæ impudentem scelestamque orationem ! Itaque cum et hoc Adamus protulisset, dicit ei Deus : *In labore et sudore comedes panem tuum, et spinas ac tribulos terra germinabit tibi. Et postremo : Quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Dicebam, inquit, ut pœniteret te, pristinamque vitæ formam retineres. Quia vero adeo præfractus es, apage de cætero a me, et sufficiet tibi ad disciplinam desertio tua : *Quoniam pulvis es, et in pulverem reverteris.* En igitur, didicisti, eum post prævaricationem, quia non pœnituit, nec dixit, Peccavi, et expulsum, et in labore ac sudore vitam agere jessum, et in terram, de qua assumptus est, damnatum esse ut rediret, quod ita evenisse constat ex his quæ in Scriptura sequuntur. Proinde illo dimisso ad Evam venit, ostendere volens, ipsam quoque pœnitere nolentem, jure eum ipso ejectum iri, et ait : *Quid hoc fecisti?* ut et illa subjiciat, peccavi. Nam quid alioqui opus habebat Deus, quæso, hujusmodi verbis eam compellare, nisi hac sola de causa, ut diceret illa : *In insipientia mea, Domine, istud feci? ego nullius pretii, et misella tibi Domino meo non obtemperavi miserere mei.* Sed ista non dixit. Quid autem ? *Serpens decepit me.* O stuporem ! Itane pane cum serpente contra Dominum verba tibi incremente commercium habuisti, et hunc Deo creatori tuo protulisti, et consilium ejus mandato Domini præstantius, ac verius existimasti ! Ubi igitur nec illam dicentem invenit, Peccavi, ejiuntur e deliciis, a paradiso, et Deo expelluntur.*

Sed profunditatem mysteriorum Dei dispice, et disce, ac docere inde, non fuisse ejiciendos, si eos scelestis pœnituisse : non fuissent condemnati, non fuisset lata sententia, ut in terram reverterentur, de qua sumpti essent. Audi quomodo. Postquam ejecti sunt, mox in labores ac sudores incidere, esurireque ac sitire, et rigere ex frigore, ac tremere cœperunt, ac perpeti hujusmodi incommoda, qualia et nos hodie, et plura perpetimur, qui videlicet calamitatis hujus et casus cognitionem accepimus : nec id solum, sed etiam ipsius eorum stultitiæ, et ineffabilis Dei misericordiæ. Extra paradysum itaque vagantes, et sedentes, pœnitebant, flebant, lamentabantur, frontem feriebant, capillos laniabant, pertinaciam suam deplorantes. Id porro non unum, aut duos, aut decem dies, sed, credatis mihi velim, quandiu ætas suppeditavit. Quomodo enim poterant non continenter atque omni tempore lacrymas profunderè, cum Dominum illum tam mansuetum, delicias illas, quas sermo nequit declarare, illam florum pulchritudinem inenarrabilem, illam vitam omni sollicitudine ac labore vacuam, angelorum ad ipsos descensus ascensusque recogitarent ? Quemadmodum enim, qui ab aliquo principum hujus sæculi electi sunt servi, ad præstandum illi coram ministerium, quandiu reverentiam, et honorem, et serviendi manus sincerum Domino suo præstant, ipsamque, ac conversos suos diligunt, etiam libertate erga eum, et benevolentia ejus amoreque multa cum vacatione, jucunditate et oblectatione perfruuntur. Sin autem in vesaniam insolentiam contra Dominum suum versi, obtorto collo raptent conservos suos, seque supra illos efferant, qui apud illum libertate, benevolentia, et amore gaudebant, ea omnia amittunt, et in longinquam ab eo regionem relegati, ejusque jussu innumeris lassitudinum, vexationumque tentationibus objecti, magis magisque ferias quibus fruebantur, et detrimenta bonorum amissorum intelligunt. Eodem modo protoplastis evenit, qui cum in paradiso agentes bonis illis circumfluerent, deinde ab iisdem exclusi et projecti, ubi ea amississe senserunt, semper lamentabantur, semper flebant, Domini sui misericordiam implorantes. Quid facit, qui multus est in misericordia, et tardus in supplicio ? Ut vidit eos humiliatos, prolatam sententiam mox revocat, cum ad castigationem scilicet, et ne quis Conditori universorum se opponeret, eam tulisset. Cum enim, ut Deus, et casum hominis et pœnitentiam præsciret, antequam universitatem moliretur, et opportunitatem, et tempus, et quomodo, et quando hunc ab exsilio reduceret, secretissimo judicio, et investigabili omni spiritui designavit. Nam si quibusdam hæc revelata fuissent, et scribere voluissent, non eis tempus, non charta, non atramentum suffecisset.

²³ Gen. ii, 17.

Sicut ergo miseratus ante constituit et prædixit, sic utique etiam fecit : et quos e paradiso propter impudentiam, et impœnitens cor, ac voluntatem obstinatam eiecit, ut decuit, eos acta pœnitentia, et pro eo, ut debebant, humiliatos, et post fletum ac lamenta ipse ille solus ex solo unigenitus Filius, et Verbum Patris sui, qui fuit ante omne principium, cum descendisset, ut omnes nostis, non solum similis illis homo factus est, sed etiam ad violentam et probrosam mortem raptatus, perinde ut illi mori non recusavit : et descendens ad inferos, etiam inde eos eripuit. Qui ergo tam multa, quam quotidie audis, eorum causa pertulit, ut eos a longinquo illo exilio revocaret, si pœnituissent in paradiso, non illos commiseratus fuisset? Quid ni, qui benignus est, et ideo hominem crearat, ut bonis ipsius in paradiso frueretur, et benefactorem suum glorificaret? Sane ita, ut arbitror, fratres, factum fuisset.

Ut autem et cætera discas, et verbis meis major apud te fides sit, audi reliqua. Si pœnituissent adhuc in paradiso degentes, ipsum illum paradysum recepissent, ac præterea nihil. Quia vero propter impœnitentiam suam expulsi sunt, ac deinde vehementer pœnitentes, lacrymas fuderunt, afflictique sunt : quæ, ut dixi, non essent passi, si in paradiso pœnituissent, pro laboribus istis, sudoribus, et molestiis, et bona pœnitentia volens Dominus Deus honore eos et gloria afficere, nec id tantum, sed etiam omnium illorum malorum oblivionem illis afferre, quid agit? Perpende mihi benignitatis magnitudinem. Descendit ad inferos, eosque deinde reductos, non in paradysum, quæ amiserant, restituit, sed in illud cœlum cœli eos subvexit. Qui cum ad dexteram Dei Patris sui principio carentis sedisset, quid ei, Adamo, inquam, servo quidem suo secundum naturam, patri autem suo vocato secundum gratiam, fecisse dicis? Vide in quantam altitudinem propter ejus pœnitentiam, humilitatem, lamenta atque lacrymas Dominus ipsum sustulerit. O lacrymarum et pœnitentiæ vim! O immensæ benignitatis, et scrutabilis misericordiæ pelagus, fratres! Quia non ipsum solum, sed et universum ejus semen, nos nimirum ejus filios, ejus confessionem, pœnitentiam, lamenta, lacrymas, et alia quæ supra dixi, imitatos, perinde ut illum et honoravit, et glorificavit : et ita facientibus usque nunc, et ex hoc factoris, sive mundani, sive monachi sint, parem honorem et gloriam tribuet. Amen, dixit verax Deus, non relinquam eos unquam, sed tanquam fratres meos, et amicos, patres, matres, cognatos, cohæredes meos reddam eos, et glorificavi, et glorificabo, et in cœlo sursum, et in terra deorsum, et vita, lætitia, atque gloria ipsorum nullo fine circumscribetur.

Quid ergo, mi frater, protoplastis vitæ ratio in paradiso, laboris et curarum nescia profuit, cum

A desidiosi fuerint incredulitate sua Deum contempserint, et præceptum ejus violaverint? Si enim illi credidissent, non serpentem Eva, non Evam Adamus illo fide digniorem existimasset. Sed cavere oportebat, ne de arbore vetita comederent. Ubi comederunt, ejecti sunt. Rursum, nihil illis exsilium damni, sed amplissima bona contulit, et ad salutem nobis omnibus conduxit. Delapsus quippe de cœlo Dominus noster, morte sua mortem nostram destruxit, damnationemque prævaricationem primi parentis nostri consecutam funditus sustulit, perque sacrum baptismum nos regenerans, et refingens, et ea perfecte nos solvens, in hoc mundo prorsus liberos, nec tyrannidi inimici subjectos collocat : sed primæva arbitrii libertate nos honorans, potius vires contra eum ministrat, ut qui volunt, nullo eum negotio devincant, felicius quam sancti omnes, qui ante Christi adventum vixerunt. Die autem suo perfuncti, non sicut illi, ad inferos, sed in cœlum, et ad delicias illas ac voluptates perducentur. Et nunc quidem moderatius lætantur : at post reditum corporum in vitam, penitus sempiterno gaudio quantum, quantum est dignabuntur. Qui igitur volunt, mantellum non quærant, nec dicant : Plane propter Adami transgressionem cupiditatibus nos, ac libidinibus agitari, et inde nos ad peccatum pertrahi. Qui ita sentiunt et loquuntur, Domini ac Dei nostri adventum infructuosum, inanemque existisse opinantur, quod hæreticorum, non fidelium est, ut dici solet. Quare enim descendit, aut cur necem passus est, nisi ob hoc omnino, ut damnationem peccati mercedem tolleret, et genus nostrum e servitute, et operatione Satanae inimici assereret? Hæc enim est germana libertas, nullius dominationem quocunque tandem modo perpeti.

Nos siquidem a peccatore peccatores, a transgressore transgressores, et a servo peccati propagati, etiam ipsi servi peccati eramus, a maledicto et mortuo maledicti atque mortui, ab eo qui suasu maligni transversim actus, et in mancipium ejus redactus, suum jus ac potestatem amiserat : ut filii ejus, eodem maligno in nobis operante, suaque nos potentia opprimente, tyrannico ipsius imperio parebamus. Deus autem de cœlo adfuit, carnem induit, similis nostrum natus, absque peccato, peccatum sustulit, conceptionemque, et procreationem sanctificavit, et gradatim educatus, totam ætatem benedixit. Viriles autem annos ingressus, concionari instituit, docens nos, ne canos prudentia et virtute, nos juvenes maxime, et prudentia nondum viri præcurrere, et antevertere in aliquo velimus. Suscepit nostra pro nobis, custodisque omnibus patris sui præceptis, transgressionem nos solvit, transgressoresque a damnatione vindicavit. Servi forma accepta servus est factus²², et nos servos in antiquam dignitatem dominorum restituit, ac tyranni veteris dominos effecit. Cujus-

²² Philipp. ii, 7.

rei testes sunt sancti, qui etiam morte jam obita ipsum, et ministros ejus ut languidos, et imbecilles repellunt, ac fugant. Maledictus factus est in cruce suffixus (*Maledictus enim, inquit Scriptura, omnis qui pendet in ligno* ²⁵) et universam Adami maledictionem a nobis depulit. Mortuus est, et morte sua mortem peremit. Resurrexit, et inimici, qui per mortem et peccatum potestatem in nos exercebat, virtutem operationemque deservit. In mortiferum quippe venenum, et virus peccati, ineffabili deitatis, et carnis suae vivifica efficacitate injecta, genus humanum ab operatione inimici omnimodis liberavit. Per sacrum autem baptismum, et communionem intemeratorum ejus mysteriorum, corporis nempe, et sanguinis pretiosi, emundans nos ²⁶, et vivificans, sanctos, et peccati puros reddit. Sed et rursus arbitrii libertate condecorari sinit, ut non coacti, sed volentes Domino servire videamur: et quemadmodum ab initio erat Adamus in paradiso liber, extraque vim et peccatum voluntate soluta ac libera obediebat inimico, a quo deceptus mandatum Dei violavit: sic et nos e sacre baptismate regenerati, servitutis jugo a nobis depulso, nostri juris liberique reddimur: ac nisi ultro inimico obtemperare velimus, alia quadam via contra nos moliri nihil potest. Si enim ante legem et adventum Christi his omnibus carentes auxiliis multi, imo innumerabiles Deo placuerunt, et extra culpam vixerunt (e quibus justum Enoch translatione honoravit, Eliam curru igneo velut in cœlum assumpsit), quid nos respondebimus, qui post gratiam, talemque ac tantam beneficentiam, post mortis et peccati destructionem, post baptismi regenerationem, et sanctorum angelorum custodiam, et ipsam Spiritus sancti obumbrationem, adventumque super nos, ne illis quidem qui ante gratiam fuerunt, pares invenimur, sed ignavia corrupti, Dei jussa vilipendimus, ac præterimus? Porro gravius nos puniri iri, quam qui in lege peccaverunt, si in peccatis permanserimus, sanctus Paulus his verbis indicavit: *Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem* ²⁷?

Non ergo Adamum, sed semetipsum unusquisque nostrum accuset et reprehendat, in quodcumque peccatum incidit, et si vitam æternam velit consequi in Domino, pœnitentiam, ut ille ostendat, flens in dolore cordis sui, et in agnitione sui ad omnipotentem Dominum clamans: *Ecco vides, Domine, (quid est autem quod tu non videas?), ego opus manuum tuarum, opera mandatorum tuorum non feci: sed per stultitiam omni me scelere alligavi. Tu igitur bonus Dominus, ego autem non cognoscebam te. Nunc audivi de te, et contremui, et quid faciam nescio. Intellexi judi-*

cium tuum, et defensio non est inventa in ore meo. Nihil enim super terram feci, quod unicum verbum otiosum oris mei compensare queat. Nam si omnem justitiam fecerit homo, tanquam servus, et debitor faciet, compensationem autem peccati si nullam inveniet. Etenim misericordia abs te solo est, et peccatum mors est. Et quisnam per ipsum moriens, etiam per seipsum resurgat? nullus omnino. Tu solus mortuus resurrexisti, quoniam peccatum non admisisti, nec inventus est dolus in ore tuo ²⁸. Jam vero quis morietur in peccatis et non capiatur pœnitentia: ac nihil ei proderit. Sic et me, Domine omnipotens, pœnitentia quidem malorum quæ patravi, non proficit autem ad justitiam mihi pœnitentia mea: est enim tantummodo peccati agnitio. Et nunc vides omnia, omnium inspector, Domine, qui nusquam mihi relicta est salutis occasio, sed vivum me infernus deglutivit. Tu autem solus potes me reducere et sanare dolorem cordis mei, quoniam potens est manus tua ad omnia, et in fines abyssorum penetrans, et omnia pro nutu tuo operans. Non audeo dicere, *Miserere mei, sum enim indignus misericordia. At tu, Domine, nosti omnia, et, ut novit benignitas tua, fac in me, qui etiam ipsa vita indignus sum.*

Sic erit, fratres, qui coram Deo omnipotente peccavit, et timore judicii, aversionisque Dei ab se, animi sensum accipit. Timor enim Domini, et notitia retributionis ejus ita carnes liquefacit et ossa conterit, ut lapis a machina suspensus in torculari uvæ comprimatur, vehementer inde vinum exprimit. Nam uvæ qui calcant primum, postmodum eas saxo superimmissis exprimunt, et his omnem vini humorem demunt. Hominem autem Dei timorem ingressum, ipse timor omnibus se concalcandum præbere facit. Et cum superbiam, et cogitationis carnis, vanæ gloriæ cupidus perfecte contriverit, atque deleverit, tunc sancta humilitas, ille lapis, qui mente percipitur, levissimus et utilissimus desuper illapsus, ubi totum humorem carnalium voluptatum affectionumque expresserit, animam ita expressam, fructus haud inanem demonstrat: sed cum eam lumine lacrymarum perfuderit, aquam vivam scaturire facit, et inflicta a peccato vulnera sanat, eorumque sonem et ulcera abluat, et hominem illum totum nive candidiorem reddit: modo ne quis dubio et ancipiti corde ad Deum accedat. Dubitatio enim cordis est, ratiocinari, aut plane secum ita cogitare: miseretur mei Deus, annon miseretur? Illud, *annon?* incredulitatis est. Quod si non credis, eum tui misereri velle supra quam expectas, quid accedis, eumque rogas? Ancipitis autem cordis est, non in mortem prorsus seipsum tradere, propter regna cœlorum: sed de his esse sollicitum, quæ ad carnem spectant. Qui enim laboriosam pœnitentiam agit, hoc solum cavere debet, ne seipsum machina

²⁵ Deut. xxi, 23; Galat. iii, 13. ²⁶ I Joan. 1, 16. ²⁷ Hebr. ii, 2, 3. ²⁸ I Petr. ii, 22.

aliqua exstinguat, et sui homicida fiat: verbi gratia, aut ex alto se præcipitans, aut strangulans, aut aliud contra naturam sibi inferens. De reliquis, per quæ corpus ali ac vivere scit, ne curet: secundum illud sanctorum oraculum: *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia (ad usum videlicet corporis necessaria) adjicientur vobis*⁹⁹. Potest namque, qui vitam in certamine ducit, et ex præscripto Evangelii vivit, solo pane, et aqua ali quotidie, et vivere, et habitior esse, quam qui mensis delicatioribus accumbunt. Quocirca et Paulus hujus rei gnarus dicebat, semperque dicit: *Habentes victum, et quibus tegamur his contenti simus*¹. Et rursum: *Ut in nobis ipsis responsum mortis habentes, non simul fidentes in nobis ipsis, sed in Deo, qui suscitavit mortuos*².

En, fratres dilecti, docuimus, quomodo ad Deum accedendum, et qualis ei pœnitentia exhibenda sit. Ne igitur ab ea usque ad ultimum halitum nostrum desistamus, neque boni hujus consilii nos capiat oblivio. Si enim ad hæc, Deo adjuvante, et ad hoc opus pœnitentiæ incubuerimus, ipsi sensim majora mysteria intelligemus, superna illa gratia edocti: nec solum fons lacrymarum, sed etiam omnium pravatum affectionum horror, et alienatio per hujuscemodi actiones nobis donabitur. Nam pœnitentiam et compunctionem semper exquirere, et scrutari quæ ad lugendum, flendum, dolendum valeant, eaque enixe præstare, et in nullo sibi potiores deferre, aut ulla ex parte carni obsequi, compendio quodam hominem ad perfectionem, et ad puritatem, affectuumque vacuitatem deducit, et sancti Spiritus participem efficit. Et hæc quidem, si pœnitentiam et contritionem dilexerimus. Sin noluerimus, quæque dicta sunt, in iis sine intermissione non elaboraverimus, ne quis tamen loquatur impie, et dicat id esse impossibile: nec, quod ista in medium attuli, me multum abundare otio, neque recenseat mihi, quantum auri argentique distribuerit, ac disperserit: neve dicat, tot et tot de facultatibus meis nudos vestivi, esurientes alui, sitientes potavi, omnia mea dilargitus sum, veni in hunc montem, intravi in hanc speluncam, ad Domini sepulcrum accessi, in montem Olivarum ascendi, et nunc in hoc monasterium me abdidit, et jam detonsus, aut etiam antea detonsus, in cella sedeo, tantum numerum precationum fundens, cum his salvalor, et sufficit mihi. Ne tibi fucum facias, quicumque es, frater, nec te ipsum vanis cogitationibus insipienter consolere. Hæc enim omnia bona, et valde bona sunt, sed semen tantum esse scito. Vide igitur (exempli causa) agrum renovasti, finem sparsisti, tribulos vellisti, seminasti. Non ergo ex herba terræ semen se ostendere, num crevisse comperisti? num spicas prodeuntes, num albas animæ tuæ segetes, et ad messem idoneas conspexisti? vellisti spicas inde?

A fricuisti manibus, ut fructum laborum tuorum absolutum aspiceres? eo autem spectato, num altius ad saturitatem, et viribus factus es robustior? Si horum certus es, pedes, et vestigia pedum tuorum adoro, et exosculor, non enim dignus sum faciem tuam osculari. Triumphas, et exultas, cum gaudio colligens, quæ cum labore et lassitudine seminasti. Sin autem et ipsa quæ a me dicuntur nescis, et neque an in terra tua, in agro, inquam, cordis tui, de fructibus melioribus seminatum sit, nosti, narra mihi, extremos orbis terrarum fines dum obiisti, et ultima pelagi spatia emensus es, quid profecisti? Nihil utique. Si enim in elemosynam dederò totum mundum, non tamen de meis, sed esto, de meis, me autem nudum et inopem sivero, et ita in honorum egestate moriturum, et ad terribile Christi tribunal sistendum, quid mihi prodest? Indutos et ornatos e corpore exire oportet, si modo velimus in nuptiis Regis una cum ejus amicis discumbere. Quid porro est, quod et ego, et omnes amici ejus superinduere debemus, ne tunc nudi appareamus? Christus et Deus fratres.

Quod si universum, qui sub cœlo est, orbem peragravero, nullamque regionem, aut urbem, aut ecclesiam prætermisero, in quam non adoratum introeam, ipsasque bene perlustravero, et accurate cognovero, regno autem cœlesti excludero, cequid non melius erat, me nunquam natum esse, nec in terram cecidisse, aut spiritum hunc ducere cepisse, et oculis solem aspexisse? Etiam, hoc mihi melius erat. Quid igitur faciam, ne hoc regno priver? Si functus omnibus pœnitentiæ operibus, Spiritum sanctum accepero. Istud quippe est semen Christi, per quod nos pauperes, et mortales ejus cognatis ascribimur. Quod si ceciderit in terram bonam, fructum fert, unum tricesimum, et aliud sexagesimum, aliud centesimum³. Atque hoc ipsum est regnum cœlorum: cætera omnia sine hoc nihil commodi habent. Nisi enim, fratres, nostri ipsorum misereamur, et per pœnitentiam animas nostras purgatas, ac luminis plenas inveniamus, nihil nos alia fecisse juvabit, ut ait Dominus, et Deus noster: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*⁴? Et iterum: *Qui perdiderit animam suam, sive mundo, aut iis qui in mundo sunt mortuam, et sine sensu reddiderit, propter me, inveniet eam*⁵. Qui autem invenerit eam in aliqua carnis voluntate, perdet eam. Si igitur animas nostras non ita propter Christum perdiderimus, rursumque invenerimus, quando cum Christo vitam sempiternam vixerimus, quid reliqua omnia nobis emolumenti dabunt? Prorsus nihil proderunt, dilecti servi Christi, nec ab æternis flammis nos asserent. Quare omnia, et omnes relinquentes, nos ipsos solos, et nostra perpetuo inspiciamus, donec

⁹⁹ Matth. vi, 33. ¹ I Tim. vi, 8. ² II Cor. i, 9. ³ Matth. xiii, 8. ⁴ Matth. xvi, 26. ⁵ Matth. x, 39.

lis quæ deterioris, id est, corporis sunt, victis et A edonitis, et meliori, nempe rationi, et animo subditis, et ita pacis Spiritu perfrui, a tumultu terrestris spiritus expediamur, et in portum beatæ quietis nostræ ingrediamur.

Beatus igitur, qui, quæ diximus cum fide audit, et ad unguem ea exsequitur, et hanc veram pœnitentiæ imaginem descriptionemque imitatur, quam prius praxis nostra implevit, postmodum Scriptura verbis commisit. Nam cum bona intellectum, cogitationem, sermonem superantia invenerit, miseram manum meam, quæ hoc scripsit, beatam pronuntiabit, et misericordem, multæque miserationis Dominum prædicabit, qui per linguam sordidam, et immundam, et os impurum hæc scriptura consignavit, ad exemplum conversionis et pœnitentiæ, et ad viam directam verissimamque eorum qui ex tota anima sanari concupiscunt, et regnum vitamque immortalem, ac cœlestem pro hæreditate adiaturi sunt. Quamobrem rogo vos, in Christo fratres, procul a nobis omnem affectionem turbidam, et

omnem hujus vitæ sollicitudinem amandemus. Oderimus voluptates carnis, jucunditates corporis, oblectamenta, et otium, per quæ quod deterius est, potiori prævalet, et agite, suscipiamus fidem sinceram erga Deum, et qui secundum Deum sunt patres ac fratres nostri. Possideamus cor contritum et humiliatum animæ spiritum, et per pœnitentiam, et lacrymas corporum ab omni macula, et labe peccati, ut etiam possimus pervenire aliquando ad compendiosam mensuram spiritualis ætatis, et videre ac frui bonis ineffabilibus, indeque divino lumine, quamvis non consummate, sed ex parte, et pro capto nostro, secundum proportionem puritatis, et innocentie nostræ. Sic enim et nos uniemus Deo, et Deus unietur nobis, et consuetudine nostra utentibus erimus lumen, et sol, ad magnam eorum utilitatem in Christo Jesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor, et adoratio, cum Patre et sanctissimo, ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum Amen.

EPILOGUS AD LECTOREM.

Laudetur Deus, qui huic labori finem dedit. At tu, lector, qui in hunc librum incidere, mente ab omni cura hujus mundi vacuus, ut decet, te adhibe sermonibus istis, quos studio et labore suo confecit venerandus ille, et inclytus Pater Symeon, qui monasterio ad Xylocercum præfuit. Et cum eos videris esse tres et triginta, totidem annos, quos Dominus noster corpore humano vestitus, ut mortalis nobiscum in terris vixit, cogita. Et hoc mandans animo, festina, ut spirituali incremento, quod liber hic exponit ac declarat, celeriter annos illius exæques, ex sermonibus, inquam, haud obscuris, et totidem numero Patris hujus. Quos cum legeris et percæperis, quemadmodum tibi vita secundum Deum instituenda sit, cognosces, et cum Christo

vivens, animæ tuæ ætatem ultra phœnicis sæcula augebis, donec vir jam perfectus, ad mensuram venias ætatis, qua fuisse Dominum constat. Ubi una cum Christo sic vixeris ex animo, et spiritualiter, unitus ei quantum licet, etiam cum eo de terra exaltato sublatus, ad locum ubi ille manet pervenies. Trahit enim in Sancta sanctorum omnes qui volunt in ejus semitis vestigia ponere, quibus pro nobis prior ipse incessit, tanquam Mediator scilicet, et magnus noster Pontifex. Nemo enim, nisi per eum ad Patrem veniet, quemadmodum ipse affirmavit. Cujus et hoc verbum est: *Volo, Pater, quos dedisti mihi, ut mecum sint, et videant gloriam meam, quam dedisti mihi*.*

* Joan. xvii, 24.

EJUSDEM SYMEONIS

PRESBYTERI

DIVINORUM AMORUM, SIVE SACRARUM COMMENTATIONUM, LIBER SINGULARIS.

CAPUT PRIMUM.

Precatio mystica, qua Spiritus sanctus invocatur.

Veni, Lumen verum. Veni, vita æterna. Veni, absconditum mysterium. Veni, Thesauri carens

nomine. Veni, res ineffabilis. Veni, persona humanam intelligentiam fugiens. Veni, perennis exultatio. Veni, Lumen nunquam occidens. Veni, omnium salvandorum vera expectatio. Veni,